



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

LVII. Excitantur omnes Græci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione  
utantur; narratur quoque, quid pro ea perficienda factum fuerit; & quæ  
eidem novæ editionis Euchologio præposita sunt ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

videlicet probatione directa per Testes de visu, sed respondeatur, Ita constare, ut tuto procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum, aucto videlicet Miraculorum numero, a duobus, quæ olim sufficiebant pro obtinenda Beatificatione, ad alia duo, & sic ad quatuor Miracula, ut quod ex humano defuit Testimonio, Divino compensetur.

Præfens Decretum manu Nostra subscriptum, Nostroque Sigillo munitum, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignamus, inter Acta ejusdem Congregationis asservandum.

Dat. 8. Februarii 1756.  
Pont. XVI.

Datum hac die 8. Februarii 1756.

BENEDICTUS PP. XIV.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco + Sigilli.

M. Marefiscus S. R. C. Secr.

LVII.

Excitantur omnes Græci Ritus Orientales, ut nova Euchologii editione utantur; narratur quoque quid pro ea perficienda factum fuerit; & quæ eidem novæ editionis Euchologio præposita sunt Monita, latius explicantur.

EPISTOLA PRIMA.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ritus Græci Ecclesiasticos, Sæculares & Regulares, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium, a cõtestatione paternæ charitatis, & Pastoralis sollicitudinis in Græcam, aliasque Orientales nationes.

EX quo primum tempore Apostolicam B. Petri Sedem conscendimus, usque in præsentem diem, assidua Nobis videmur edidisse argumenta paternæ proflus charitatis, qua dilectos Nobis in Christo Ecclesiasticos, Laicosque Orientales Nobis consentientes, sive, uti vocant, *Unitos*, & a schismatis labe immunes, complectimur; nihilque intactum reliquisse, quo ii, qui in schismate sunt, ejuratis erroribus, Catholicæ unitati consocientur. Nolumus hic quæcumque in hunc finem egimus, commemorare: quum & referta sint Regesta Congregationis de Propaganda Fide Decretis nostris hac de re conditis; & Apostolicas Litteras, atque Constitutiones pro Orientalium rebus a Nobis editas, in Bullarii nostri Voluminibus unamquisque percurrere valeat. Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Venerabiles Fratres, Dilectosque Filios, certiores faciamus, absolutum jam esse opus Correctionis Græci Euchologii, idque jam Typis ejusdem Congregationis de Propaganda Fide impressum fuisse, post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum; ideoque vos hortemur, ut hoc potissimum in sacris actionibus adhibeatis, sepositis aliis, quæ variis erroribus fati superque infecta deprehenduntur. Quod quidem haud mirum videri debet: Id enim incommodi facillime accidit, quoties in pluribus ac sæpe iteratis unius Operis editionibus, ab iis, qui præsent, aliquid omittitur exactissimæ illius diligentæ, quæ necessaria est, ne aliqua, aut per fraudem, aut per incitiam, identidem

Pontificis consilium in Encyclicis hinc Litteris conscribendis.

infernatur, aut adjiciantur, quæ in primævis purisque editionibus non erant; quæque deinde refecanda quum sint, aut aliquo modo temperanda, tractu temporis causam præbent instituendis correctionibus, novisque repurgatis editionibus; quemadmodum in ipsa quoque Occidentali Ecclesia, quantumvis præ Orientali minoribus periculis exposita sit, evenisse dignoscitur: quocirca Romani sæpe Pontifices coacti sunt opportune consulere, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, & Martyrologia emendarentur, & castigata noviter ederentur. Verum quod attinet ad correctionem vestri Euchologii, quod, ut optime nostis, nihil aliud est, quàm collectio Ecclesiasticarum precum, atque benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, Ecclesiæ vestræ Rituale, seu Manuale, aut sacerdotale, & Pontificale commode appellari possit; duo potissimum his nostris Litteris agenda suscepimus: historiam nimirum exponere correctionis, novæque editionis, quæ nuper perfecta fuit; & Monita quædam latius explicare, quæ in ipsius Euchologii vestibulo opportune præposita sunt; dilato in aliud tempus consilio aperiendi vobis, si Deus vitam & vires Nobis largietur, res alias complures ad Euchologium ipsum pertinentes, quæ nec satis recte præsentibus Litteris nimis in longum protrahendis infererentur, & immoicum Nobis afferrent laborem, ætati Nostræ profus alienum, nec apte conciliandum cum reliquis magni momenti curis, quæ nunc præsertim Nos in Apostolici Ministerii nostri procuracione circumstant, & a quibus Nos modo expedire non possumus.

§. 2. Philippus IV. Hispaniarum Rex Catholicus is fuit, qui sub annum 1631. habito ad Apostolicam Sedem recursum, exposuit, delatum sibi esse a Græcis Unitis ditionis suæ Terras incolentibus, editum fuisse a Græcis schismaticis Euchologium pluribus erroribus vitiatum, simulque rogavit, ut absurdis, quæ inde manare possent, opportunis remediis occurreretur. Summus autem Pontifex Urbanus VIII. statim egregio operi manum admovit, deputata ad Euchologii correctionem peculiari Congregatione, cui & ipse primum nonnullos S. R. E. Cardinales, Romanæque Curie Prælatos, atque Theologos magni nominis, adscripsit; & alios per Orbem tunc maxime Ecclesiasticæ eruditionis laude præstantes viros, eidem Congregationi adscribendos, Romam accivit. Inter hos vocatus fuit Dionysius Petavius Presbyter Societatis Jesu in Gallis degens, qui tamen justissima affectæ ætatis excusatione usus fuit, ne tantum iter arripere; & Joannes Morinus Gallicani Oratorii Presbyter, qui & ad Urbem accessit, & pluribus sessionibus interfuit, in quibus multa scitu digna protulit, ad rem recte instituendam dirigendamque opportuna, de quibus alibi sermonem habebimus.

§. 3. Summum profecto studium ac diligentiam in demandatum sibi opus contulerunt ii, qui Congregationem ab Urbano Pontifice deputatam constituebant; eorumque curas atque labores innuit Leo Alatius, quum de Græco Euchologio sermonem habens, ita scripsit: *De libro, plura possem referre, & examinare: verum tamen, cum sub censura, ac judicio acerrimorum virorum stet, sententiam de eo veram, & judicium infallibile expecto.* Et quidem duo supra octoginta sessiones inter eos habite fuerunt, ut olim testatus est Cardinalis Franciscus Barberinus senior, in Congregatione de Propaganda Fide, quæ die 23. Januarii anni 1645. coacta fuit coram Innocentio Papa X., paulo post obitum illius Decessoris Urbani, ejusdem Cardinalis Patris. Non ideo tamen absoluta fuit Euchologii emendatio, nec nova editio confici potuit.

Græcum Euchologium quid?

Summa eorum, quæ hac Epistola continentur.

Euchologii correctio, quando, quibusque de causis primum instituta.

Quantoque situ sit sub Urbano VIII. & Innocentio X. PP. curata fuerit.

§. 4. Sub-

Opus seque-  
ntibus  
temporibus  
intermissum,  
summo stu-  
dio Pontifex  
inflauravit.

§. 4. Subsequentium Pontificum tempore propositum opus nunquam omnino fuit desertum, sed parum lenteque promotum; dum novis, ut affolet, negotiis supervenientibus, inceptorum antea exitus & finis retardatur. Quam autem Deo Optimo Maximo visum fuerit Nos, licet immerentes, ad Summum Pontificatum evehere, inter primas, quas liberet assumpsimus, curas, hæc fuit, de correctione librorum Orientalis Ecclesie, præsertim vero Euchologii Græcorum. Quare, ut optatam Nobis metam aliquando contingere liceret, hæc, quæ sequuntur, mandata per Nos tempestive edita, & executioni diligenter tradita fuerunt. Primum itaque collecta, & in ordinem digesta sunt Acta Congregationum, quæ sub Urbano VIII., & Successoribus Pontificibus habitæ fuerant, ut comperta fieret captarum resolutionum sententia, quantumvis illæ Pontificia confirmatione roboratæ non fuissent; neque enim unquam ad Summos Pontifices facta apparebat earum relatio, sed in opportuniore tempora, jam iustis fortasse de causis, dilata. Deinde quam jam omnes è vivis excessissent, quicumque olim adscripti fuerant prædictæ Congregationi, ad Euchologii correctionem institutæ, Nos alios S. R. E. Cardinales, & Consultores ad gravissimum opus urgendum deputavimus; e Cardinalibus nimirum bo. me. Antonium Xaverium Gentili, Philippum Monti, Joachimum Besozzi, & Aloysium Lucini, respectively nuncupatos, qui omnes jam ex hac vita migrarunt; Congregationis autem Præfatum constitutum Dilectum Filium Nostrum Fortunatum Presbyterum Card. Tamburini nuncupatum, qui sospes vivit; Consolores vero designavimus Dilectos Filios Fr. Josephum Augustinum Orsi Ord. Prædic. Palatii Nostræ Apostolicæ Magistrum, Leonardum Siderer Societ. Jesu Presbyterum, Dominicum Vitali Monachum Ordinis Sancti Basilii, Thomam Sergium e Fils Operariis Sacerdotem, & Dominicum Teoli Presbyterum Romanum, quorum aliqui superflites sunt, alii supremum diem obierunt; denique ejusdem Congregationis Secretarium elegimus Dilectum Filium Magistrum Nicolaum Antonellum Prælatum Nostrum Domesticum. His omnibus præscriptum fuit, ut certis recurrentibus diebus inter se convenientes, de rebus eorum cognitioni delegatis tractarent; id quod per integram decennium exactissime præstitum fuit. Quam autem olim controversia fuisset de methodo in examine rerum servanda; censentibus nonnullis, ut ante omnia de Sacramentorum formis inquireretur; aliis vero suadentibus, ut fecerneretur ea, quæ ad simplicium Presbyterorum officium pertinent, ab iis, quæ sunt Episcoporum propria: Nos hujusmodi controversiam de medio sustulimus, jubendo, ut Euchologii revisio, & correctio, a prima illius pagina ad subsequentes gradatim produceretur, eodem ordine, quo Euchologium ipsum constatum, impressumque conspicitur. Denique præfato Congregationis Secretario id oneris imposuimus, ut ante singulas sessiones, solum efformaret, non modo cuilibet ex Cardinalibus, & Consultoribus, qui conventuri erant, sed Nobis etiam, qui omnibus de rebus in Congregatione discutiendis certiores fieri volebamus, opportune tradendum; quo in folio, indicatis proponendarum questionum capitibus, adnotaretur primo quidquid super illis expensum, atque conclusum fuerat in Congregationibus habitis sub Prædecessoribus Pontificibus, quatenus in anteaactis Congregationibus de ipsis agi contigisset; deinde ea, quæ circa hujusmodi quaestiones in Theologorum libris conscripta, & in Ecclesiasticis monumentis relata haberentur.

Congregationem ex  
spectabilibus  
Viris relictam,  
quorum  
nomina re-  
censentur.

Sapientissimam statuit  
totius rei agende, &  
perficiende  
rationem.

Peculiaris  
cura in con-  
ferendis ve-  
teribus Eu-

§. 5. De veteribus Euchologiis, uti par erat, inspiciendis, conferendisque, minime ne-

cessè fuit eundem Secretarium monere; quem porro invenimus & Græcæ Linguae peritum, & sacra eruditione, doctrinaque præstantem, paratumque ad magnos quoslibet perferendos labores in Apostolicæ Sedis obsequium & utilitatem; quemadmodum sæpe aliàs, rebus ita exposcentibus, ac etiam editis plurimo studio voluminibus, demonstravit. Notum cuique est, P. Jacobum Goarium Ordinis Prædicatorum, natione Gallum, octo ipsos annos in Orientalibus Regionibus commoratum, ubi omnia attente exploravit, Romam deinde venisse sub anno 1640., diuturnisque collationibus habitis cum insignibus doctrina viris, & rerum Græcarum peritissimis, Leone Allatio Romanæ Curie Præsule, Basilio Falasca Ordinis Sancti Basilii Procuratore Generali, Georgio Corefio, & Pantaleone Ligardio, ut etiam de eo refert P. Echardus *De Scriptoribus Ordinis Prædicatorum Tom. 2. pag. 574.*, in Galliam denique reversum, in lucem edidisse Euchologium Græcum, una cum Latina illius versione. Pro cuius Operis majori perfectione, quum doctus ac diligens Vir plures manuscriptorum Codices, & Libros Typis impressos, qui in ipsius Procemio ad Lectorem recensentur, inspicere & perpendere non omisisset, variantes lectiones ubique adiecit, & opportunas, doctasque adnotationes hac illuc inseruit. Opus istud primò prodit Parisiis anno Domini 1647., deinde Venetiis anno 1730. recusum fuit.

§. 6. Norunt etiam eruditi Viri, complura Mss. exempla Euchologii Græci in Bibliotheca Vaticana asservari: præterea extare in Barberina Bibliotheca celebre *Euchologium Barberinum S. Marci*, sic dictum, propterea quod è Cœnobio S. Marci Florentiæ ad prædictam Bibliothecam olim transiatum fuit; illudque antiquissimum esse, ac decem seculorum ætatem superare; quum Leo Allatius testatum reliquerit, a peritissimis sui temporis viris, jam tunc nongentis annis vetustius fuisse habitum: *Omnium autem antiquitatem superat Codex Barberinus in charta pergamena quadratis litteris accuratissime descriptus, ante nongentos, & plures annos, sententia eorum, qui in hisce rebus judicandis primi habentur, conscriptus.* Illud quoque eruditus incomperum esse non potest, in Archivo Monasterii Cryptæ Ferratæ pretiosum asservari Codicem, *Euchologium Patriarchale* nuncupatum, quem magnus Cardinalis Bessarion, primus illius Monasterii Abbas Commendatarius, ejusdem Abbatie Monachis testamento legavit; quum ipse eum dono habuisset a præclaræ memoriæ Cardinalis Juliano Cæsarino; huic autem donatus fuisset in Concilio Florentino a Sacerdote Georgio Varj Cretense, quemadmodum testatur Arcudius; quapropter hujusmodi Codex a Cardinali Bessarione plurimi semper habitus fuerat. Omnes hi, quos inuimus, Euchologii Codices inspecti, explorati, collatque invicem fuerunt, tum a Præsule Secretario, tum ab aliis Congregationi adscriptis idioma Græcum callentibus, quo rectius tutiusque dirigeretur nova Euchologii editio; neque porro Nostris hortationibus, aut monitis ad id opus fuit, quum ipsi sua sponte hujusmodi curam susceperint, ac summa diligentia subierint.

§. 7. Neque similiter necesse habuimus doctis Cardinalibus, & Consultoribus Congregationem efformantibus in memoriam revocare sapientes illas animadversiones, quæ leguntur tum apud laudatum Joannem Morinum, in Præfatione illius Operis *De Sacris Ordinibus*, tum apud Lucam Holstenium *Dissertatione 1. de Sacramento Confirmationis*, tum denique apud Auctorem *Vindiciarum P. le Brun*, in his, quæ scripsit de Forma Sacramenti Eucharistiæ; qualque præ oculis omnino habere debet, quicumque vult de Græcorum Ritibus rectum iudicium ferre. Injusta quippe & fallax, Ecclesiæque

chologiis, ad-  
hibita a Con-  
gregationis  
Secretario.

De Eucholo-  
gio edito a  
P. Goario,  
deque hujus  
peritia Græ-  
corum Ri-  
tuum.

Plures Eucholo-  
gii Codices in Vati-  
cana Bibl. as-  
servati.  
Eucholo-  
gium Barbe-  
rinum; ejus  
denominatio,  
& anti-  
quitas.

Eucholo-  
gium Cryptæ  
Ferratæ usque  
habitum, &  
cujus aucto-  
ritatis ha-  
beat.

Ampliores  
curæ, & la-  
bores, per  
Secretarium,  
ceterisque  
Congregatio-  
ni adscriptos  
adhibentur.



pacis atque unitati contraria est, eorum judicandi ratio, qui Latinorum tantummodo Rituum notitiam habentes, nec aliud scientes, præter ea, quæ tradiderunt nonnulli ex nostris Scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed Græcarum consuetudinum rudes, eisque rationis ignari, quam semper cum ipsis sequuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in sacris Græcorum Ritibus ea omnia damnare, quæcumque Latino Ritui conformia & consentanea non reperiebant. Hæc, inquam, præfatis Cardinalibus & Consultoribus ad Euchologii correctionem delectis minime commemorare oportuit, quum ipsi jam hujusmodi agendi & judicandi normam sibi proposuerint, eamque re ipsa plenissime sequuti sint; quemadmodum etiam revera factum fuisse agnovimus a Cardinalibus & Præfatis, qui sub Urbano VIII. in Congregationibus hac de re habitis sententiam dixerunt. Quæ autem a Nobis demandata fuisse superius innuimus, ea undequaque impleta fuerunt; nec satis dici potest, quam assidua diligentia & labore omnes Congregationem constituentis operi conficiendo incubuerint. Prædictus vero Secretarius, non solum ante singulas inter eos habendas sessiones, injuncta sibi folia doctæ & sapienter elucubravit, Nobisque exhibuit; verum etiam, post habitas sessiones hujusmodi, Congregationum sententias, atque resolutiones Nobis referre non omisit; Nos autem omnibus perlectis, & mature pensatis, eisdem, prout in Domino expedire visum est, approbavimus & confirmavimus. Et hac quidem servata methodo, absoluta est Euchologii correctio, & nova ejusdem editio elapso anno 1754. typis Congregationis de Propaganda Fide impressa est. Hæc habebamus, Ven. Fratres, Delecti Filii, quæ ad vestram notitiam deduceremus, ut vobis compertum esset, quantum studii, laboris, ac diligentie adhibuitur fuerit, ut Euchologii vestri editio correctissima in lucem prodiret.

§. 8. Porro sub initium novissimæ hujus editionis quatuor posita sunt Monita, de quibus in hac Epistola, juxta id, quod superius constitutum Nobis esse diximus, operæ pretium facturos nos esse existimamus, si ea vobis breviter indicemus, quæ in iisdem statuendis præ oculis habita fuerunt.

§. 9. Primum itaque Monitum his verbis conceptum legitur: *Sciendum est, quod Sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent Ecclesiasticos Sanctorum Patrum Canones, & Catholica Ecclesia Constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes Officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, & Patriarchæ, dammodo Catholici sint. Quod si alter eorum, vel ambo sunt schismatici, sive heretici, eorum commemoratio nequaquam fiat. Quod sane consentaneum omnino est iis, quæ decreta fuerunt in Congregatione habita die prima Maji anni 1746., quæque approbatione nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: Num in precibus, quæ a Sacerdote, & Diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit Nomen Summi Pontificis, tum etiam in cæteris precibus: videlicet, pro Summo Pontifice N. Redditum autem fuit Dubio Responsum hujusmodi: In Instructione initio Euchologii adscribenda, admoneantur Sacerdotes Græci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis, & eorum Episcopi, seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesia Catholica Romana unitus, & insuper ponatur alia Rubrica in margine Liturgiæ, quæ eos remittat ad Instructionem. Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quæ in ipso Euchologii Textu desiderantur.*

§. 10. De commemoratione Romani Pontificis in Sacrificio Missæ, deque hujus discipline vetustate, Nos ipsi fuisse differimus in Nostro Tractatu *De Sacrificio Missæ Sect. 1. num. 219.* sed post ejus Libri editionem, idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis, tractavit Dominicus Georgius, noster, dum viveret, intimus Sacellanus, *De Liturgia Romani Pontificis Tom. 3. cap. 3. num. 14.* ubi hæc habet: *Solemne semper fuit in Ecclesia Catholica, ut Romani Pontificis nomen inter sacra Mysteria recitaretur; deinde num. 22. ita subdit: De Romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant, & exemplaria sacri Canonis antiquissima. Et quidem hujusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa Latina, quam Flaccus Illyricus Lutheranus vetusto è Codice exscriptam protulit; item antiquissima Liturgia, quæ legitur in vetustiori Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ, quam Ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique Sacri Missæ Canones, sive impressi, sive manuscripti; quemadmodum fuisse demonstrat memoratus Præsul Nicolaus Antonellus, in sua copiosa, ac erudita Dissertatione, quam pro injuncto sibi munere Secretarii præfate Congregationis ad Euchologii correctionem deputatæ, conscripsit, & Typis curandam curavit, tunc quam a Cardinalibus, & Consultoribus ea de re disceptari cœpit; quam etiam recensam legere est in Appendice ad antiquum Missale Monasticum Lateranense, Tom. 1. Collectionis Liturgiæ a P. Emanuele de Azvedo adornatæ.*

§. 11. Hactenus enunciata Monumenta ad Latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad Græcam Ecclesiam, Cardinalis Bona *Rec. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. num. 3.* ignotum esse ait, an ea prioribus sæculis in Sacrificio Missæ Romani Pontificis mentionem fecerit: *An vero primis sæculis Græca Orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet.* Porro Isaacus Habertus, in *Observationibus ad Pontificale Græcorum part. 8. observat. 12.* fatetur se inter prioris ævi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia, infra Missarum actionem, Romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: *Vellem factum, & laudarem; sed factum non lego: factum quidem laudarem.* Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiæ Sancti Joannis Chryostomi sequentia verba legantur: *Nicolai Sanctissimi Universalis Papæ longa sint tempora; credibile esse ait, temporibus S. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa ann. Christi DCCCLVIII., Patriarchæ nomini adjectum fuisse nomen Romani Pontificis.* At vero laudatus Antonellus in citata Dissertatione contendit, multo ante Epocham ab Haberto indicatam, in Ecclesia Græca Romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis, tum eo potissimum factis, quod refert Nicephorus in *Historia Ecclesiastica l. 16. cap. 17.,* & testimonio nictur antiquioris atque gravioris Historici, Basilii Cilicis. Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychie hæresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infantum illud publicaret editum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat Sacri Chalcedonensis Concilii definitio adversus hæresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit, ideoque Acacium communionem privaverit, ausus est hic anno Domini CCCCLXXXIV., novo & inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis Romani Pontificis nomen è Sacris Diptychis abradere: Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria, eisque damnationi acquievit Ecclesia

De prima Moniti parte, scilicet de Commemor. Rom. Pontificis.

Monumenta, ex quibus vetustissimus in Latina Ecclesia probatur hujus commemorationis Ritus.

An idem primis sæculis Græca Ecclesia vigerit, disputatur.

Egregium factum, quo confirmatur assertiva sententia.

Græca,

Studium quoque suum adjungit Pontifex Euchologii correctio absoluta.

Quatuor Monita Euchologio præposita, de quibus singularim dicendum.

Primum bipartitum Monitum: de commemoratione Rom. Pontificis, necnon Episcopi, & Patriarchæ in Missa faciendæ.

Dubium in Congregatione discussum; & Decretum hac de re editum.

Græca, sub Hormisda Pontifice, & Justino Imperatore; id quod a duobus Hormisda Prædecessoribus, Anastasio II., & Symmacho, obtineri nequiverat. Erat igitur in magna Constantinopolitana Ecclesia, (cujus exemplum procul dubio sequutæ erunt inferiores aliæ Orientis Ecclesiæ), erat, inquam, in Sacris Diptychis Romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnias. Quod si Acacius hujusmodi nomen primus abraisisse dicitur, ejusque factum ideo etiam improbatum specialiter fuit, quod, sine præcedenti alterius cujusque exemplo, rem perpetrasset novam, & eo usque inauditam, quamvis antea actis temporibus inter Romanos Pontifices, & Regiæ Urbis Episcopos, offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, nullo ante Acacii tempora, ideoque prioribus sæculis, Romani Pontificis nomen Sacris Græcorum Diptychis inscriptum fuisse, & in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

Commemoratio isthæc, quid vi sua importet.

§. 12. Sed quidquid sit de hoc controverso Ecclesiasticæ eruditionis capite, Nobis satis est affirmare posse, commemorationem Romani Pontificis in Missa, falsaque pro eodem in Sacrificio preces, censei, & esse declarativum quoddam signum, quo idem Pontifex tanquam Ecclesiæ Caput, Vicarius Christi, & Beati Petri Successor agnoscitur, ac professio fit animi & voluntatis Catholicæ unitati firmiter adhaerentis; ut etiam recte advertit Christianus Lupus, super Conciliis scribens Tom. 4. Editionis Bruxell. pag. 422. *Hæc commemoratio est suprema & honoratissima Communionis species.* Neque id tantummodo probatur auctoritate Iyonis Flaviniacensis in Chronico pag. 228. ubi ita legitur: *Novit se a communiōe totius Orbis separari, quicumque nomen Apostolici, pro quocumque dissensione, in Canone non recitaverit;* aut vulgati Alcuini, qui lib. 1. de Divinis Officiis cap. 12. ita scripsit: *Constat, ab universi Orbis communiōe separatos esse, sicut Beatus Pelagius docet, qui qualibet dissensione, inter Sacra Mysteria Apostolici Pontificis memoriã secundum consuetudinem non frequentant, sed graviore sententia Pelagii II. Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiæ sæculo Apostolicam Cathedram tenuit, quique in suis litteris, relatis in Labbeana Conciliorum Collectione Tom. 5. col. 794. & seq. & col. 810. ita ad rem nostram scriptum reliquit. Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, Dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis Sedibus collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Præsulum earundem Sedium auctoritate, vel communiōe suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quæ in Pontificalibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi Orbis communiōe separatos esse non creditis, si mei inter Sacra Mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriã reticetis, in quo, licet indigno, Apostolica Sedis, per successionem Episcopatus, presentis tempore videtis consistere firmitatem?* Quibus Pelagii litteris usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus Sanctus Agobardus in suo Tractatu De comparatione utriusque regimini, qui impressus habetur in Magna Bibliotheca Patrum, impressionis Lugdunensis Tom. 14. pag. 315. num. 21., & a Balutio recusus fuit, inter alia ejusdem Sancti Opera Tom. 2. pag. 49.

Eadem occasione schismatis intermissa, & in tractanda unione, famper ante alia quæque conventa.

§. 13. Satis præterea Nobis est, hoc tuto asserere posse, quocumque demum tempore in Ecclesia Græca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro Romano Pontifice in Missa, eam certe in Græcis Ecclesiis viguisse pluribus sæculis ante conflatum schisma, nec nisi post

funestam divisionem fuisse intermissam. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchæ, qui vivebat anno Christi 1053. ad Michaëlem Cæularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam Græce & Latine edidit Joannes Baptista Cotelerius Tom. 2. Monument. Eccles. Græc. Michaël dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus, necnon Alexandrinus, & Hierosolymitanus Antifites, Roman. Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur ex cit. Tom. 2. num. 9. pag. 140. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit, ostendens, ad suam usque ætatem, tum Antiochiæ, tum Constantinopoli non fuisse intermissam Romani Pontificis commemorationem: *Ad hæc ego quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia præcellunt, quod sub beatæ memoriæ Patriarchæ Antiochiæ Domno Johanne, Papa Romæ, ipsæ etiam Joannes nominatus, in sacris Diptychis referretur. Constantinopolim præterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi, sub sanctæ memoriæ Patriarchæ Domno Sergio, prædictum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri.* Additur, nunquam agi cceptum de unione instauranda; nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut Sacræ Liturgiæ insereretur Romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuisse; nisi prædicata initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensus Ecclesiarum Latine & Græcæ, in agnoscendo & statuendo, inesse in præfata commemoratione protestationem subjectionis debitæ Romano Pontifici, tanquam Ecclesiæ Capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiæ, ut supra diximus; contra vero, per hujusmodi commemorationis omissionem, declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

§. 14. Quum Michaël Paleologus Constantinopolitanus Imperator, anno 1263. & sequenti, studium suum declarasset redeundi, una cum Græcis sibi subiectis, in unitatem atque concordiam cum Ecclesia Romana, Urbanus IV. Prædecessor Noster hanc conditionem diserte proposuit, teste Niceta lib. 5. cap. 2. *Ut in sacris Officiis è Diptychis Papæ nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur.* Cumque subinde hujusmodi unionis tractatio ab eodem Michaële Imperatore, & Patriarcha Joanne Vecco, resumpta fuisset, ac de ea serio actum fuerit in Concilio Generali Lugduni habito anno Domini MCCLXXIV., Beatus Gregorius X. Pont. Max. assentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas proposuit conditiones, quæ nisi acceptarentur, nullus Unioni tractandæ ac perficiendæ locus reliquus foret; quarum prima fuit: *Ut inter sacras Hymnodias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in Diptycha relatus memoraretur;* ut apud eundem Nicetam habetur, loco citato. Eam vero conditionem a Græcis acceptatam fuisse, & exequendo impletam, testatur Pachymeres lib. 5. cap. 22. *Ex hoc Legatorum adventu pacem factam referentium, duo consecuta sunt, vi prius conventorum; exauctoratio Patriarchæ, & Papæ in sacro commemoratione publica.*

Probatur assertio iteratis exemplis instaurata unionis, rebique gestis sub Michaële Paleologo.

§. 15. Michaëli Paleologo successor in Imperio fuit Andronicus Filius, damnato schismati adeo perditæ adherens, ut, quoniam Pater unioni Ecclesiæ Græcæ cum Latina ineundæ operam contulerat, illius Corpus extra locum sacrum sepeliri permiserit. Et quia, donec Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsideret Catholicus Patriarcha Joannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatam sibi schismatis instauratorem ad exitum perducere posse, Iosephum quemdam hæretica labe infectum in Patriarchalem Sedem intrusit. Exinde res in pejus rueret

Impia Andronici intermedii Imperatoris attentata.

coeperunt, nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecisque Patres mature discussis, anno demum MCCCCXXXIX. defectus fuit divisionis paries, qui unam ab altera Ecclesia tam diu sejungam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis perfecta veritas, Joannes Palaeologus Graecorum Imperator iussit, in sacris Diptychis reponi nomen Romani Pontificis; uti testatur vel ipse schismaticus scriptor Sylvester Sguropulus in *Historia Concilii Florentini sess. 10. c. 12.* Cumque subinde unionis constituta Decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermisit hic, in sua responsione ad Eugenium IV. Pontificem data, testari, a se quoque statutum fuisse, ut in Sacrificio Missae, Romani Pontificis commemoratio; antequam aliorum Patriarcharum, fieri deberet: *Unde cum nostris Aegyptiis Pontificibus, & ceteris Clericis nostris statuimus, ut ubique, in omnibus Christi Ecclesiis, inter Missarum solemnias, praeter ceteris Patriarchis, memoriam Tuae Beatitudinis faciamus, sicuti in Sacris Canonibus cautum est; quemadmodum videre est in Actis Concilii Florentini a Cardinale Justiniano collectis part. 2. collect. 22. pag. 323.*

Tertia denique ex pactis conventis inter Constantinum Imperatorem, & Nicolaum V. Pontificem.

§. 16. Post Joannem Palaeologum in Graecia imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos misisset, qui sibi periclitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non omisit, se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem; ideoque effecturum, ut Pontificis Romani nomen sacris Diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in *Historia Byzantina: Imperator supplicat rogatum Romam jam antea miserat, ut etiam Concordia Florentiae reconciliata restabileretur, inque magna Ecclesiae Liturgiis Papae nomen de sacris Diptychis recitaretur.* Pontifex autem promptum se atque paratum exhibuit ad attendendam illi pro viribus opem; simulque ipsum hotari, & urgere non destitit, ut Decretum Unionis in Concilio Florentino perfecta promulgaret, efficeretque, ut nomen Romani Pontificis recitetur in Diptychis, & pro ipso nominatim expresse ab universa Graecorum oretur Ecclesia, sicut ii, qui Deo placere, & Constantinopolitani Patriarcha, & Imperatores haecenus servaverunt; ut habetur in Annalibus Raynaldi, ad Annum Christi 1451. n. 2.

Græci Orientales Catholici hujusce commemorationis habendae legem agnoscunt, & in iteratis Synodis evulgant.

§. 17. Hæc sunt, quæ pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione Celebrantium, orandi pro Papa in Sacrificio Missæ; nec aliud præterea addendum videtur, nisi quod ante hujusmodi Monitum, Catholici Episcopi Græci Orientales, in suis Synodis, hoc ipsum statuere non omiserunt; & Nos ipsi pro Italo-Græcis opportuna Decreta edere non praetermissimus. Anno Domini mcccxx. Zamoscia habita fuit Synodus Provincialis, de mandato fel. record. Prædecessoris Nostri Clementis Papæ XI., ac præsidente in ea Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiscopo Edesseno, & Apostolicae Sedis Nuntio in Regno Poloniae, deinde vero a recol. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. ad Cardinalatus honorem assumpto. In hujus itaque Synodi Decretis, quæ etiam a piæ memoriæ Benedicto Papa XIII. similiter Prædecessore Nostro, maturo præmissis examine, confirmata fuerunt, sub Titulo de *Fide Catholica*, sequentia leguntur verba: *Eadem de causa, nimirum ad removendam omnem schismatis suspensionem, & ad demonstrandam sinceram Memoriorum cum Capite conjunctionem, censuit etiam, ac præcepit, sub pænis arbitrio Ordinarii infligendis, ut ubicumque in sacris Diptychis commemoratio Romani Pontificis faciendâ erit, præsertim*

*vero tempore Sacrificii Missæ, in translatione Oblatorum, fiat claris & expressis verbis, quibus alter quàm Romanus universalis Episcopus designari non possit.* Consentient Patres Concilii Libanensis anno MDCCCXXXVI. congregati, sub præsidencia Dilecti Filii Magistri Josephi Simonii Affemani Romane Curie Præfulis, & Ablegati Apostolici; in cujus pariter Concilii Decretis, sub Titulo de *Symbolo Fidei, ejusque professione, num. 12.* hæc occurrunt verba: *Santissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Missis, quàm in Divinis Officiis, ante Reverendissimi Domini Patriarchæ nomen, uti haecenus consuevimus, celebrare non omitamus.* Et hoc etiam Concilium, post accuratissimum rerum omnium examen, Apostolica auctoritate a Nobismetipsis confirmatum exitit, ut videre licet in Nostra Constitutione, quæ incipit *Singularis: Tom. I. Bullarii Nostri, n. XXXI.* Petrus Arcudius in suo Opere de *Concordia Ecclesie Occidentalis & Orientalis lib. 3. cap. 39.*, monitum adscripsit pro Latinis Episcopis, in quorum Diocæsesb commorantur Græci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missa commemorationem Romani Pontificis; ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma: *Episcopi Latini omnino curare debent, ut sibi subditi Parochi Græci in unione Catholica sint, & Summum Pastorem agnoscant, juxtaque veterem morem, pro illo solemniter deprecantur, in Sacrificio Missæ, de quo nempe eo in loco agit.* Contentantæ autem ad hoc æquissimum monitum, in nostra Constitutione pro Italo-Græcis emanata, cui initium: *Esti Pastoralis, quæque est 57. in Bullarii Nostri Tom. I. §. 9. num. 4.* ita cautum fuit: *Deinde Summi Romani Pontificis, ac Ordinarii loci, in Missis, atque Divinis Officiis, commemoratio fiat.*

§. 18. Sequitur pars altera ejusdem primi Moniti, in qua, uti superius notatum fuit, injungitur Sacerdoti Græco, ut infra Missam, postquam oraverit pro Pontifice Romano, oret pro proprio Episcopo, oret etiam pro suo Patriarcha, si tamen Catholici sint; nam si eorum alter, vel uterque schismaticus esset, aut hæreticus, de illo, aut illis commemorationem facere non deberet.

§. 19. In Latina Ecclesia nulla se se offerre solet difficultas, quoad commemorationem faciendam illius Episcopi, in cujus Diocæsi Sacerdos Missarum sacra facit. Hæc de re Nos ipsi egimus in nostro Opere de *Sacrificio Missæ sect. 1. num. 220. Latine editionis*, ibique demonstravimus, debere eum, qui in Diocæsi aliqua Missam celebrat, Episcopi Diocæsanæ loci mentionem facere, non vero alterius, in cujus Diocæsi ipse ordinatus fuerit, seu cujus Ordinariæ Jurisdictioni subiectus sit; neque vero licitum esse Regularibus, proprii Superioris Generalis, aut aliis Sacerdotibus alicui Prælato inferiori Territorium separatim habenti subiectis, hujusmodi Prælati commemorationem facere in Missa; quum is honor deferendus tantummodo sit ei Superiori, seu Præfuli, qui Episcopali auctoritate, & ordine est insignitus. Auctores vero, qui hæc omnia tradunt, & probant, ibidem a Nobis allati fuerunt. Quare nihil aliud hic adjiciemus, nisi quod præciterat Dominicus Georgius, qui post editum nostrum illud opus, suum prælo dedit *Tractatum de Liturgia Romani Pontificis*, pluribus antiquis perlustratis Codicibus, hæc adnotata reliquit, *disti Operis Tom. 3. cap. 2. n. 23. pag. 52. Omnia ferme vetustissima exemplaria Sacri Canonis Missæ, post Romanum Pontificem, nomen Antistitis designant, quod quidem nomen Florus, & antiquiores Expositores Missæ, quos in appendice damus, commemorant.*

§. 20. Utque adhuc a Latina disciplina non discedamus, hoc etiam adnotabimus, Episcopum

\* In hac Editione Tom. XVI. pag. 45.

Eandem Italo-Græcis indixit Pontifex.

\* In hac Editione Tom. XVI. pag. 94.

Secunda Moniti pars, de Commemoratione Episcopi & Patriarchæ, habenda, vel omittenda.

Latine Ecclesie disciplina quoad Commemorationem Episcopi

Episcopus celebrans qua formula pro se oret in Missa.

pum

Romæ solius Pontificis fit mentio, & quare.

Pontifex celebrans, quomodo pro se orat.

Archiepiscopi nunquam fit mentio a Latinis in Missa.

Italo-Græci, quoad commemorationes in Missa, Latinam disciplinam servare debent.

\* In hac Editione pag. 112.

\* In hac Editione Tom. XVI. pag. 94.

Dictatum S. Gregorii VII. genuinum ne sit, an suppositum, in quaestione est.

pum Missam celebrantem, pro semetipso orare, se indignum feruum compellendo; quod consentaneum est his, quæ leguntur lib. 8. Constitutionum, quæ Apostolicæ dicuntur, inter Opera Patrum Apostolicorum a Cotelerio edita Tom. I. pag. 407. ubi is, qui sacrum facit, postquam pro aliis oravit, pro se ipso deprecatur his verbis: *Adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui tibi offero &c.* Præterea sciendum est, in Urbe Roma solius Romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipse non modo sit Summus Pontifex, sed etiam specialiter Romanæ Urbis Episcopus; ipsum vero Pontificem, dum Missam celebrat, pro se etiam orare, ad eum plane modum, quo Episcopus quilibet celebrans pro se ipso Deum orat. *Postulasti* (verba sunt Innocentii III. in Epistola non adhuc edita, sed in Regestis Vaticanis assertiva, lib. 9. num. 33., qua respondet Episcopo Auriensi, seiscitanti quomodo Pontifex Missam celebrans de se ipso mentionem faciat;) *Postulasti præterea doceri, quibus verbis Pontifex Romanus utatur in eo loco Canonis Missæ, in quo Sacerdos inferior dicit, una cum Papa Nostro; cum idem pro se tunc videatur orare, ac supra se Antistitem non habere: ad quod devotioni tue taliter respondemus, quod Nos ibi dicimus: una mecum indigno famulo tuo.* Denique notandum est, a Latinis Sacerdotibus, commemorationem Archiepiscopi, uti Metropolitanæ, in Canone nomine fieri; ut etiam notat accuratus P. Merati in suis Commentariis ad Gavantum part. 2. tit. 8. num. 5., & quidem etiam si vacet Sedes Episcopalis: Si vero Episcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita sanctus, prædicta verba omittuntur; nimirum de eo non fit commemoratio: sed advertendum est, loco Episcopi, non posse nominari Vicarium Capitularem, quia licet, sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius Diocesis. Rursus neque nominari potest Archiepiscopus, aut Patriarcha Provinciae, intra quam continetur Episcopatus Episcopi desuncti, licet in eo habeat aliquam jurisdictionem; quia Archiepiscopus, aut Patriarcha, non dicitur Ordinarius in Diocesisbus Suffraganeorum.

§. 21. Nunc autem converso ad Græcos sermone, si quidem de Italo-Græcis agatur, hi omnimodæ subijciuntur jurisdictioni Episcopi Latini, in cujus Diocesi suum constituerunt domicilium, juxta Constitutionem LXXIV. Prædecessoris Nostri Pii Papæ IV., quæ incipit *Romanus Pontifex, Bullar. Roman. Tom. II. \**, de qua Nos fuse differimus in nostro Tractatu De Synodo Diocesana lib. 2. cap. 12. novissima editionis Romanae. Itaque hujusmodi Presbyteri Italo-Græci, in Sacrificio offerendo, Latinam disciplinam sequi tenentur, commemorationem scilicet facientes Romani Pontificis, & Episcopi loci, nunquam vero Orientalium Episcoporum, aut Patriarcharum, quantumvis Catholici sint, quum hi nulla fruantur jurisdictione in Italia, & Insulis adjacentibus; ut etiam statutum est in præfata Constitutione nostra: *Esti Pastoralis §. 9. num. 4. Bullarii Nostri Tom. I. \* Const. 57.* Sane in Dictato Sancti Gregorii VII. Rom. Pont. Can. 10. hæc verba leguntur: *Quod Papæ solius nomen in Ecclesia recitetur.* Et quidem Dictatum hoc Conciliorum Collectionibus insertum reperitur, nimirum Regiæ Parisiensis, Tom. 26., Labbeæ vero Tom. 10.; atque alteri ab Harduino constat Tom. 6. part. 1. Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controversiam, sitne Dictatum illud genuinum opus S. Pontificis, an potius suppositum; adeo quidem ut P. Mabillonius in suo Tractatu De Studiis Monasticis, quaestione hanc recensuerit inter graviores, quibus enodandi Ecclesiasticæ Historiæ Professores occupari possunt. Verum hoc etiam posito, Dictatum

esse genuinum opus S. Gregorii VII., vera ac germana citati Canonis sententia haud quidem est, ut in Ecclesia Latina Episcopi Diocesani nomen a Missæ Canone sit removendum, sed ut eidem minime inferantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui scilicet tunc temporis hac conditione consenturos se dicebant, ut Romani Pontificis nomen in Liturgia reponeretur, ac per universas Orientis Ecclesias pro eo preces fierent, si vicissim Pontifex consentisset, ut ipsorum nomina a Sacerdotibus Latinis Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum Romani Patriarchatus, in Canone Missæ recitarentur. Quæ quidem conditio jure optimo rejecta fuit, pro ut sapienter observat Christianus Lupus ad Concilia part. 4. pag. 437. editionis Brusellen. A schismate recessurus Michaël (de Michaële Cæulario Constantinopolitano Patriarcha loquitur) petiit nomen suum inscribi Romanis tabulis, sponditque Pontificis nomen omnium suarum Ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo (Romanum Pontificem innuit S. Leonem IX.) noluit annuere: mutua enim Patriarchalium nominum recitatio viguit in solis equalibus, & consorioribus, Orientalium Patriarcharum Sedibus, nunquam in Romana. Hæc enim Orientalium non tantum soror, sed etiam caput est & mater, ideoque nullius, nisi sui solius Episcopi, nomen unquam recitavit. Et sequenti pag. 438. ita prosequitur: *Orientalium Patriarcharum nomina nunquam recitavit Romana, imo nec ulla Latina Ecclesia.*

§. 22. Hæc pertinent ad Italo-Græcos. Verum quod spectat ad cæteros Græcos, & Orientales, Monitum istud Euchologio præpositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitanarum, & Patriarcharum mentionem facere in Missa; sed cavet tantummodo, ne id fiat, quatenus illi schismatici sint, aut hæretici. Constat antiquum esse morem in Ecclesia Græca, ut in Missarum precibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quæ scripsit de Patriarcharum juribus, hæc habet: *Statutum est, ut in quavis Ecclesia Dei, sive ad Euphratem, sive ad Tygrim, sive ad ipsum pertingat Oceanum, conjunctim Patriarcharum nomina referantur.* Goarius in notis ad Rituale Græcorum pag. 62. hoc refert, veluti usu receptum, videlicet in Græca Liturgia, Sacerdotem orare pro omnibus Episcopis, & pro Metropolitanis. Meratus autem in notis ad Gavantum Tom. I. part. I. pag. 539. Romanae editionis, postquam illud posuit, quod supra retulimus, in Ecclesia Latina Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missa, vacante licet Ecclesia suffraganea, ita subdit: *Hoc tamen non observatur a Græcis, aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant, & Metropolitanam.* Neque id ipsum in sæpe indicato Monito iidem indefinite prohibetur, sed tunc solummodo, quum Metropolitanæ, aut Patriarchæ, schismatici sint, vel hæretici; juxta regulas jam pridem receptas atque statutas, antequam Euchologii correctioni manus admoventur. Sane in Congregatione Sancti Officii anno 1673., quum de hoc disciplinae capite actum fuerit, decretum prodit tenoris sequentis: *In Congregatione Generali Sancti Officii die 7. Junii 1673. Utrum in Missa possit nominare Sacerdos in Opido Liburni Patriarcham Armenorum, pro ipso orando, qui est schismaticus; quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis, & majori erga Latinos alliciatu affectu; Sacra Congregatio respondit, non posse, & omnino prohibetur.* In eadem Congregatione 20. Junii 1674. lectis literis R. P. D. Nuntii Florentiæ, datis die 10. Aprilis 1674. scriptis Sacræ Congregationi de Propaganda, & ab eadem remissis ad Sacram Congregationem Sancti Officii, decretum fuit, quod

Traditur legitimus ejus loci sensus, ubi solius Papæ nomen in Ecclesia recitari jubet.

Græcis Orientalibus licitum est pro Metropolitanis, & Patriarcha orare in Missa.

Modo ne sint hæretici vel schismatici.

rescribatur eidem Nuntio, ut quoad permissionem orandi in Liturgia pro Patriarcha Armenorum, Sacra Congregatio stet in decretis emanatis anno 1673., videlicet, non posse, & omnino prohibeatur.

Aliud similis cautionis decretum.

§. 23. Consonat aliud plane simile Decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Copthorum habitæ anno 1732., ubi inter alia proposita Dubia, hoc fuit: *An, & quomodo emendanda sint verba, quibus Sacerdos commemorationem facit de Patriarcha, Episcopo &c. Responsum autem datum fuit hujusmodi: Initio Missalis ponatur Rubrica, in qua admoveatur, & instruat Sacerdos de iis, quæ spectant ad celebrationem Missæ, & inter illas Rubrica specialis de commemoratione Romani Pontificis, necnon Patriarchæ, & Episcopi, si sint unius Romanæ Ecclesiæ; sin minus, eorum commemoratio omittatur; quæ Rubrica proprio loco repetatur.* Porto hæretici, atque schismatici excommunicationis majoris censuræ subiecti sunt, ex lege *Can. de Liguriis, 23. quæst. 5., & Can. Nulli, 5. dist. 19.* Sacri autem Ecclesiæ Canones pro excommunicationis orari publice vetant; uti cautum legitur in *cap. A Nobis, 2. & in cap. Sacris, de Sent. Excomm.* Et quamvis id non obtinet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita præstari non debet, ut eorum nomina in solemnibus Sacrificiis prece pronuncientur; quod plene congruit veteri disciplinæ, de qua Estius in *4. Sententiar. Dist. 12. §. 15.* Satis est in eum finem, mente animoque Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis, & ad Sanctæ Matris Ecclesiæ finem reducere dignetur; quemadmodum pergit Syivius in *3. part. D. Thomæ Tom. IV. quæst. 83. art. 1. quæst. 9.* Atque hæc est ipsiusmet Sancti Thomæ doctrina in *4. Sent. dist. 18. quæst. 2. art. 1. in responsione ad primum: Pro Excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ sunt.* Neque ut huic Christianæ charitatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiæ, quæ a Fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate, & obedientia separarunt; quæque, dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab Officio Missæ, quæ publicum est Sacrificium, excludit. Quapropter Ven. Card. Bellarminus *Controversiarum Tom. III. lib. 6. de Missa cap. 6.* optime ad rem nostram scribit: *Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore Sacrificium offerre pro Hæreticorum, sive Infidelium aliquorum conversione. Ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latine Ecclesiæ, quæ nunc est in usu, refertur ad Fideles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra, tum intra Canonem. Respondet: Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per inventionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni Infidelium, seu Hæreticorum: id enim faciunt Viri pii, & docti, quos reprehendere non possumus, nec existat expressa Ecclesiæ prohibitio.*

De alio Græcorum Ritu, orandi in Missa pro Imperatore, Rege, ejusque Palatio, & Exercitu.

§. 24. Nullum quidem verbum in hoc primo Monito fit de commemoratione, seu prece, inter Missarum actionem habenda, pro Imperatore, Rege, universonque ejus Palatio, & Exercitu. Sed quum id plurimum connexionis habeat cum cæteris rebus in eodem primo Monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea, quæ sequuntur, adjicere.

Quid in Congregationibus super Euchologii correctione habitis definitum fuerit.

§. 25. In omnibus Euchologiis, sive impressis, sive manuscriptis, quæ anteriora sunt correctione a Leontio peracta, adscriptæ leguntur preces habendæ pro Imperatore, Rege, ejusque Palatio, & Exercitu. Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habita die prima Maji anno 1746. propositum fuerit Dubium, an hujusmodi preces tolli deberent, rescriptum fuit, Nobis subinde approbantibus,

relinquendas eas esse in Canone, seu Liturgia. Sed quoniam Græci easdem olim preces in Prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: *Non autem habendas esse in Prothesi, seu præparatione.* Superfluum namque visum est hujusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsæ jam sunt in Canone, seu Liturgia. Atque ad hunc plane modum exacta res est in nova Euchologii editione seu correctione.

§. 26. De commemoratione Imperatoris, seu Regis, cujus temporali ditioni Regio subiecta est, quatenus in Canone Missæ quibusdam in locis fieri solet, Nos ipsi jam differuimus in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ Sect. 1. num. 221. Et quidem Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 11. num. 4.* testatur, in multis Latinis Ecclesiis nomen Regis in Canone commemorari. Præterea Martene *de antiquis Ecclesiæ Ritibus l. 1. cap. 4. art. 8. num. 9.* post alata monumenta ad id opportuna, ita concludit: *Ex constanti Ecclesiæ traditione ab Apostolis accepta, certissimum est, pro Regibus & Principibus inter Sacra Mytheria semper oratum fuisse.* Ubi satis patet, Auctorem ad ea se referre, quæ scripsit Apostolus in *Epistola 1. ad Timoth. cap. 2.*, mandans, orationes & obsecrationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; necnon ad ea, quæ leguntur in *Constitutionibus quæ Apostolicæ dicuntur*, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornata *Tom. I.*, ubi *lib. 8. cap. 12.* hæc habentur: *Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege, & pro iis, qui in sublimitate sunt, & pro cuncto exercitu, ut res nostræ in felicitate versentur;* deinde *seq. cap. 13.* iterum legitur: *Pro Regibus, & in sublimi potestate constitutis, oremus, ut res nostræ pacificæ sint.* Videri etiam hac de re potest Georgius in *præcit. Tom. III. de Liturgia Rom. Pont. lib. 4. cap. 3. num. 24.* Quidquid autem sit de controversia illa, quæ inter Balutium, & Lupum agitata fuit, de tempore nimirum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio Regum subiectis, quam quidem questionem fusiori calamo tractat citatus Lupus in *Can. 10. Diatlas S. Gregorii VII.*; illud satis compertum est, commemorationem Regum fieri in Ecclesia Latina pro eas regiones, in quibus hujusmodi consuetudo dudum recepta est, aut Apostolicæ Sedis concessio id permisit; ut advertit Meratus *ad Gavantum cit. Tom. I. part. 1. pag. 539. num. 6. juxta editionem Romanam.*

Commemoratio Imperatoris, Regumque in Missa, an, & a quo tempore fiat in Latina Ecclesia.

Quenam nunc servetur consuetudo.

§. 27. At apud Orientales nationes communis dici potest hæc disciplina, memoriam faciendi Regis in sacra Liturgia; uti videre licet in Liturgiis Armenorum, Copthorum, Æthiopum, atque Syrorum. Si quis autem quæreret, qua ratione id tolerari possit, ubi certò constat, Reges illos, pro quibus orant, & quorum commemorationem in Liturgia faciunt, infideles esse; huic Ven. Card. Bellarminus responderet ( uti reipsa respondit in superius citato *cap. 6.* ) nequaquam vetitum esse *ex natura rei*, ut ajunt Theologi, orare in Missa etiam pro Infidelibus; quandoquidem Sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane Divus Thomas in *4. Sentent. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad quartum*, docet, quod quamvis Sanctus Augustinus in libro *de origine Anima* scripserit, Sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, hæc tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel jam Christi membra sunt, vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdictione Ecclesiæ esse dimetiendam: *Certum est, ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ, licere offerre pro hujusmodi hominibus, de Infidelibus loquitur: Cum-*

Apud Orientales nationes universon receptus usus orandi in Missa pro Rege.

Explicatur, quomodo id ipsis licere & permittique possit.

que hujusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos, adeoque quoad hæreticos, & schismaticos, non verò quoad infideles, qui excommunicatione non ligantur; hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missa, atque etiam pro his Sacrificium offerri; juxta manifestam hac de re traditionem, & Constitutionem Apostolicam: *Sed quæret aliquis, utrum, si Rex infidelis est, ut in Græcia, ubi Turca dominatur, & in India, & in Japonia, apud Sinas, ubi Ethnici regnant, liceat Sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro Rege. Respondeo: Existimo licere, modo Rex ille non sit excommunicatus, ut sunt Reges hæretici, sed Paganus sive Ethnicus. Nam hæc traditio, immo & constitutio, Apostolica est, ut paulò ante ostendimus. Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesie manifesta prohibitio. Ad hæc non inutiliter subiiciendus occurrit textus Tertulliani ad Scapulam cap. 2. ubi sic legitur: Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris, aut sanguinis alicujus.*

§. 28. Verum, relictis in sua probabilitate hujusmodi assertionibus, nihil illis opus fuit, ad hoc, ut Imperatoris, & Regum commemoratio in Græci Euchologii textu relinqueretur. Innotuit siquidem, Græcos Catholicos interrogatos, num in præfatis commemorationibus habendis, hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis, quos dominos temporales patiuntur, ex quo suis propriis Principibus orbatii fuerunt; respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro Orthodoxis Regibus, & Christianis Principibus orent. Ita testatur Goarius in notis ad Euchologium pag. 38., ubi ait, interrogationi Græcis Catholicis a se propositæ, an preces illas pronuntiando, pro Turcis Deum deprecari intenderent, constanter ab iis fuisse responsum: *Solos ut piissimos, & a Deo custoditos Reges Principes nostros Christianos profiteri, & quos dominio expostulant, fide jam & religione rectores dominosque in Ecclesiis prædicare, & pro eis solis im prætermisere, etiam libris editis preces supprimentibus, orare velle.*

§. 29. Sequitur nunc secundum Monitum ex his, quæ novæ editioni Græci Euchologii præfixa fuerunt, in hæc verba conceptum: *Ad hæc, in eadem Divina & Sacra Liturgia Sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona, eaque decenter ac religiose supra caput tollens, ad Altare defert, circumducens & procedens per Templum, dum interim populus summa cum reverentia & devotione inclinatur caput, & prociat; supplicans, memoriam sui fieri in ea donorum circumductione: Sed, quia nonnulli Fidelium procidentium, circumlata dona tanquam Corpus & Sanguinem Christi adorant, atque existimant; ab introitu fortasse Præsanctificatorum decepti, quando scilicet præsanctificatus Panis defertur, ignorantes differentiam, quæ inter hanc & illam delationem intercedit; idcirco oportet, in hoc operam suam studiumque impendere, ut cunctos Fideles accurate doceat, admoneatque de illa, quæ inter utramque donorum delationem intercedit, differentia; cum alia quidem dona nondum sint immolata & perfecta, alia vero Dei verbo consecrata, & sanctificata; hæc religiosissime debeant coli & adorari, cum sub specie ac symbolis panis & vini Corpus & Sanguinem Christi contineant; secus vero, antequam consecrentur, & perficiantur.*

§. 30. Jam illud recte nostis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, duos in vestra Liturgia esse Ingressus, Minorem alterum, alterum Majorem nuncupatum. Minor est ille, quo facti Evangelii Codex infertur; Major autem ille est, quo sacra Dona, nimirum Panis & Vinum, non adhuc consecrata, a parvo Altari, seu Mensa,

quæ Prothesis dicitur, super quam præparata fuerant, Supplicationis ordine instructo, ad sacrum Altare deferuntur. Itaque in secundo Capite hujus Moniti, non quidem agitur de Minori Ingressu, sed de Majori; in quo nimirum Ritus hujusmodi observatur, ut Panis in Patena obiectus velo supra caput deferatur vel a Diacono, vel a Sacerdote; a Diacono scilicet, quando sollempne Missæ Officium celebratur cum assistentia & ministerio Diaconi; tunc enim hic sinistra manu Patenam cum pane supra caput sustinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu gestat; si vero Sacerdos sine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur, Sacerdos autem Patenam cum pane supra caput suum sinistra manu sustinet, dextera autem sacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur Majorem ingressum contingit, ut populus inclinetur, seu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis & vini, licet nondum consecrati, Corpus & Sanguis Christi Domini contineretur. *Populus passim, in Græcia quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum; in Russia vero, prosternit se, terram fronte percussit, ac veluti præsentem in ea oblatione Calorum Regem alloquitur, & adorat. Verba sunt Petri Arcudif De Concordia Eccles. Occid. & Orient. lib. 3, cap. 19.*

§. 31. Christianus Lupus part. 3. suorum Operum super Conciliis Edii. Bruxel. pag. 760. ritum describit Majoris Ingressus, quando Patriarcha, aut Metropolitanus Missam celebrant, Magistri in Vocabulario Ecclesiastico, verbo, Prothesis, singillatim describit quæcumque fiebant ab Imperatore, sacræ Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius in notis ad Liturgiam Sancti Joannis Chrysostomi num. 110., totam actionem Ingressus Majoris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 9. num. 4. Quæcumque vero ea occasione a Græcis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Coptis, Ethiopibus, ac Syris Jacobitis, ut videri potest apud le Brun in Explanatione Missæ Tom. III., apud Chardon in Historia Sacramentorum Tom. II. cap. 2., & Renaudot Tom. I. in notis ad Liturgiam Coptorum. Quin etiam in hac Romana Urbe, in Festo Sancti Athanasii, videre est Græcos in sua Ecclesia ea omnia facientes, quæ supra recensuimus: Et ita etiam hodie faciunt Græci, in Festo, ac in Romana Basilica S. Athanasii, ait Lupus loco citato.

§. 32. Perspectum quoque vobis est, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, juxta Ritus vestrum, diebus Jejunii Quadragesimalis, solam tantummodo Præsanctificatorum Missam apud vos celebrari, exceptis Sabbatis, & Dominicis diebus, necnon Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, si in Quadragesimam incidit: ad normam Canonis Trullani LII. his verbis concepti. *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum Ministerium.* Nostis etiam, Sacerdotem, qui Missam celebrat in Quadragesima, diebus, quibus hoc fieri conceditur, Sabbato scilicet, & Dominico die, unam quidem hostiam consecrare, & consummare, alteram vero consecratam seponere; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies, quibus celebranda est Præsanctificatorum Missa, in qua nimirum & seipsum, & alios, si qui sint communicantes, Eucharistico Pane superioribus diebus consecrato communicat; quemadmodum recte omnia persequitur Leo

Introitus  
Major hujus  
Moniti ob-  
jectum.

Adstantis  
populi de-  
missa nimis  
obsequio; ex  
quibus subor-  
ta quæstio  
inferius pro-  
ponenda.

Functionem  
Majoris In-  
troitus plu-  
res descripe-  
runt, pro it  
a plerisque  
Orientalibus  
peragitur.

Idem Ritus  
a Græcis Ro-  
mæ servatur.

Præsanctifi-  
catorum Mis-  
sa quibus die-  
bus, quoque  
ritu a Græcis  
celebretur.

Solidior  
Responso, ex  
declarata  
Orantium  
mente de-  
sumpta.

Secundum  
Monitum;  
de differentia  
inter Introi-  
tum, quo  
Oblata, &  
illum, quo  
Præsanctifi-  
cata Dona  
deferuntur.

Quot sint  
Introitus,  
eorumque  
distinctio, ac  
varius Ritus.

Allatus in Prolegomenis ad Gabrielem Naudæum de Missa Præsanctificatorum pag. 1531. num. 1. Quilibet Sacerdos venturæ hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat; inde tot particulas Panis in oblatione abscondit, quot Missas dicturus est; eas, cum particula eo die assumenda, consecrat, & consecratas, Sanguineque Dominico intinctas, uti moris est, conservat in Pyxide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cocleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit, & in disco reponit, & ad Altare majus advectam consumit.

Ejus occasione Panis Eucharisticus per Ecclesiam certa solemnitate deferretur.

§. 33. Hac item occasione per Ecclesiam solemniter Ritu proceditur, Diacono sacram Pyxidem, in qua Sacramentum sub specie Panis continetur, supra caput deferente, Sacerdote autem manibus gestante Calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato, sed tantum benedicto: Et quoniam non semper a Sacerdote Missa cum assistentia Diaconi celebratur, si solus Sacerdos celebret, ipse sinistra manu deferret Pyxidem capiti impositam, dextera autem Calicem sustinet; atque ita a parvo Altari ad Aram majorem progreditur; uti testatur Arcudius in citato Opere lib. 3. cap. 58. Solent Græci in Præsanctificatis Liturgiis, ante quam incipiant Sacram, reponere Sacramentum contentum in Patena super parvum Altare propositionis, & infundere vinum in Calicem sine ulla precibus. Deinde circa medium sacrum, Sacerdos, si solus celebrat, Patena imposita capiti, & Calice manu dextera apprehenso, transfert ad majus Altare &c. Si vero Sacerdos hujusmodi sacra peragit administrante Diacono, solet Patenam cum Sacramento Diacono tradere, qui eam imponens capiti deferret. Ipse autem, accepto Calice, exit, & Diaconum sequitur. Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere, aliique idoneis actibus Consecratum Panem à Sacerdote, vel a Diacono, ut supra diximus, delatum, uti par est, adorare. Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia præstentur à populo, dum in functione majoris Ingressus, Panis & Vinum non adhuc consecrata, sed postmodum consecrandæ, supplicationis ritu per Ecclesiam deferuntur; hoc illud est, quod negotium facessit, quodque locum præbuit difficultatibus adversus Ingressum majorem excitatis. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgie cap. 24. ita scripsit: Si qui autem sunt, qui, Sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt, & tanquam Corpus & Sanguinem Christi, dona, que deferuntur, adorant & alloquuntur; ab ingressu præsanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam hujus, & illius Sacrificii: hoc enim in ipso Ingressu non sanctificata habet dona, & nondum perfecta: illud autem perfecta, & sanctificata, & Corpus & Sanguinem Christi. Et post eum, Arcudius ita prosequitur in eodem citato Opere lib. 3. cap. 19. Itaque Populus ignorans discrimen hujus, & illius Liturgie, similiter se gerit in ordinariis, atque in præsanctificatis. Quocirca & graviter errat, quippe in præsanctificatis verum Corpus Sacerdos in Patena deferret, meritoque Populus humi procumbit, atque adorat: in aliis vero Sacrificiis, dum hæc oblatio fit ante consecrationem, longius se gerat, oportet. Idem Arcudius in subsequenti ejusdem libri capitibus, refellit Gabrielem Archiepiscopum Philadelphie, qui plura scripserat ad vindicandum hujusmodi Ritu. Quin etiam Goarius, præallegato loco, necessarium duxit, ad eundem Ritu tuendum, opportunas quasdam rationes afferre. In recentiori editione Operis inscripti Perpetuitas Fidei Catholica de Sacramento Eucharistie, adversus Claudium vindicata pag. 68. hoc scriptum legitur: tantum abesse, ut Græci Sacramentum Eucharistie non adorent, ut potius se ferè purgare teneantur, ostendentes, quomodo recti

Procumbens Populus Sacramentum adorat.

Similiter externis actibus Panem, & Vinum veneratur in majori Introitu.

Hujusmodi venerationis actus ad Majorem Introitum, alii dant: defendunt alii.

limites non excedant, nec iidem adorationis actibus prosequantur panem & vinum nondum consecrata, quibus ea post consecrationem venerantur. Pater le Brun non dubitavit asserere, talem esse Ritu, ut aliquid modo reformari mereatur. Tournesfort Tom. 2. p. 411. & seq. quum se propriis oculis vidisse referat Armenos functionem hæc peragentes, cum aliqua indignatione de ea loquitur. Chardon loco superius notato, ea asserit, quæ scripserunt Tournesfortius, & Pater le Brun; deinde quæstionis punctum indecisum relinquit. Itaque Patres Concilii Zamoscæ habiti anno 1720. Decreto, de celebratione Missarum §. 4. non dubitarunt interdicerè, ne qua fiat genuflexio, aut capitis inclinatio, dum Panis, Vinumque nondum consecrata a parvo Altari ad Majorem Aram transferuntur. Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones, seu capitis inclinationes, dum transferretur panis oblationis a minori ad majus Altare, pro Consecratione, tempore Offerentium; præcipitque Parochis, ut Populum hæc de re moneant, ne periculo idololatriæ exponatur. Illud enim Patres fortasse præ oculis habuerunt, quod in sacro Textu refertur lib. 4. Regum, cap. 18. de Ezechia Rege Juda, qui serpentem æneum a Moyse confiatum fregit, propterea quod Filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

Ab ipsis Orientalibus Synodali sanctione prohibetur.

§. 34. Hæc sunt, quæ nobis licuit colligere ex libris Auctorum, qui de hoc Ritu tractarunt. Nunc autem ea subjiciemus, quæ circa eundem Ritu animadverti & constituta fuerunt, tum in Congregationibus sub Urbano VIII. coactis, tum in his, quæ nostris temporibus habitæ sunt, & quarum Decreta Nos ipsi subinde approbavimus.

Æquius Congregationis judicium ea de re.

§. 35. Primum itaque illud prudenter animadvertum fuit, functionem hæc majoris Ingressus omnino tollere, atque interdicerè, (quod cæterò quoin, ut dici solet, falcem ad radicem misisset) rem fore Ecclesie Græcæ permolestam, nec contentaneam institutis Ecclesie Latine, quæ Græcos Ritus in Ecclesia Græca, quantum potuit, fervare semper studuit: idque eo vel maxime, quod antiqua est hujusmodi cæremonia; quæque in ea servatur solemnitas, ita explicari consuevit, ut triumphalem referat ingressum Christi, quum ex Bethania Jerusalem venit; quemadmodum scripsit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, hæc ipsa de re agens: Tunc enim plurima turba, & Hebræorum pueri, tanquam Regi, & mortis victori, sensibilibus hymnum referebant, spiritualiter autem Angeli cum Cherubim ter sanctum persolvebant hymnum: deinde subjungens, per minorem Ingressum significari humilem adventum Filii Dei in hunc mundum.

Excluditur temperamentum tollendi functionem Majoris Introitus, atque ita & memoratos obsequii actus.

§. 36. Secundo loco animadvertum fuit discrimen, quod intercedit inter ea, quæ canuntur in translatione Præsanctificatorum, atque ea, quæ Clerus concinit in Processione majoris Ingressus. Hic enim dicitur: Ut Regem universorum excepturi; quæ verbo non Regem præsentem indicant, sed postea venturum. In illa autem, omisso hymno Cherubico, sequentia verba ingeminantur: Ecce Sacrificium mysticum & consummatum. Adeo ut unusquisque, modica etiam intelligentia præditus, inter unam, & alteram functionem discernere valeat, dum in translatione Præsanctificatorum, Jesus Christus sub Panis speciebus præsens exhibetur; in cæremonia vero majoris ingressus, idem Dominus indicatur, non veluti præsens sub speciebus Panis & Vini, sed ut proxime adfuturus, postquam nimirum consecrationis verba a Sacerdote prolata erunt.

Differentia eorum, quæ in diversis functionibus decantantur, Populo admittit errandi periculum.

§. 37. Tertio perpensum fuit, quod si Græci in rebus sacris edocti, perfectum habent, sub Panis & Vini speciebus, dum major ingressus

Alia observationes vindicantes memoratos actus ab omni

ducitur,

nota cultus  
illegitimi.  
Prima; Re-  
cta agentium  
fides.

Altera; In-  
dolens actus  
per se indis-  
ferentis.

Tertia; La-  
triae cultum  
non actus,  
sed affectus  
facit.

ducitur, nondum existeret Corpus & Sanguinem Domini; iidemque norunt, quod ignorare non possunt, Latriæ cultum soli Deo deberi; nemo jure suspicari poterit, hanc illis esse mentem, ut per exteriores venerationis actus, quos ad ingressum Oblatorum exercent, Latriæ cultum erga species non adhuc consecratas exhibeant; quum eadem exterioris obsequii significationes aliquando erga Creatorem, aliquando vero erga res creatas exhiberi soleant; (quemadmodum in Scripturis Sanctis legitur, Abrahamum Angelos adorasse, & Jacob non semel coram fratre Esau procubuisse, & Nathan Prophetam idem in conspectu David præstitisse); quumque adoratio Latreutica non unice in actibus externis consistat, sed præsertim in interna affectione animi, qua hujusmodi actus eliciuntur. Præterea si Græci in Missa Præsanctificatorum, iidem exterioris adorationis actibus sequuntur Panem, qui consecratus est, simulque Vinum in Calice contentum, quod consecratum non esse constat; nec ideo iis objicitur, quod in prædicta Missa Præsanctificatorum, pari Latriæ cultu adorent Panem consecratum, & Vinum mere benedictum; quia scilicet extrinsecæ actiones ab interno animi sensu diriguntur, ita ut pro varia mentis intentione, unus idemque actus, nunc quidem Latriæ adorationem, nunc autem minoris obsequii significationem importet; ex hoc ipso fati evincitur, quod quamvis etiam Græci, dum major procedit Ingressus, in conspectu Panis, & Vini, quæ nondum consecrata circumferuntur, eosdem eederent externos adorationis actus, qui erga Eucharisticum Panem, & consecratum Calicem exhiberi solent; non ideo jure affirmari posset, communem panem, vinumque non consecratum, Latriæ cultu ab iis adorari: quum omnia metiri oporteat ex interiori animi sensu, cujus ea vis est, ut eosdem externos actus post Consecrationem quidem dirigere possit ad eliciendam adorationem Latreuticam erga Eucharisticum Panem & Vinum; eosdemque, ante Consecrationem, ad solemnem Oblatorum Ingressum exercendo, Latriæ cultum ab illis excludere valeat. Ita ad rem nostram apposite differit Leo Allatus in suo Tractatu de Missa Præsanctificatorum num. 8. *Cultus hic non dicitur Latria, quæ soli Deo debetur, sed qualem veneratio creaturarum exposcit: Gestus enim exterioris reverentia, capitis scilicet detectio, manuum oscula, in modum supplicantium complicatio, extensio, elevatio, & similia, nec non in genua procumbere, & prosternere se in terram, non solum adorationi Dei, sed creaturarum etiam attribuitur, nec in eo error committitur, dummodo Deum Creatorem a creatura, & creaturam excellentiorem a minus eccellente, mente distinguamus. Per externos ergo corporis gestus, cultus Deo exhibitus in adoratione, non ob naturam ejusmodi actuum, sed ob intentionem, qua usurpantur, cum aliis ex sola natura sint indifferentes, latria infertur. Interior enim voluntas atque intentio conciliandi per hos externos actus existimationem divinam, facit, ut sint materia cultus divini, atque adeo ut per illos adoratio Dei exterior exercentur, Divinum cultum tribuens. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 2. in Respons. ad secundum ita docet: Adoratio principaliter quidem in interiore Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis; sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum; prosternimus autem nos, quasi prosternentes, nos nihil esse ex nobis. Cujus doctrinam explicans Sylvius ad citat. art. 2. hæc subdit: Docet, adorationem principaliter in interiore Dei reverentia consistere, secundario vero in quibusdam signis corporalibus. Quod adeo verum est, ut inter*

signa corporalia nullum fere sit obsequium, seu officium, quo non tantum Deo, sed etiam creatura cultus exhiberi queat; ac proinde ex intentione colentis desumi debeat cultus externi distinctio. Nam si ei sit animus, de eo, quem per externum obsequium honorat, excitare opinionem Deo soli convenientem, atque illum honorare, ut summum, tunc ejusmodi officium pertinebit ad cultum Divinum: si autem sit intentio eum venerari ut creaturam excellentem, Deoque amicum, pertinebit ad cultum Dulce, vel Hyperdulce. Dixi, fere; nam de Sacrificio etiam externo, quod soli Deo possit offerri, non est dubium. Itaque Sylvius unicum exterius signum, quod necessario Latriæ cultum importet, externum Sacrificium esse asserit, quod soli Deo offerri certissimum est, sicut etiam fufe demonstrat idem Divus Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 2. Quapropter in Actibus Apostolorum legitur, Laodicenos, quum Paulum, & Barnabam Deos esse autumassent, statim de offerendo iis Sacrificio cogitasse. Eandem omnino doctrinam tradit Suarez in 3. part. Divi Thomæ Tom. 1. quæst. 25. art. 2. disp. 61. sect. 4., ut ex sequentibus illius verbis deprehenditur: *Actus exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam Creaturam exerci possint &c. Quo fit, ut distinctio Latriæ soli Deo debita, ab adoratione Creaturæ, in his externis actibus, potissimum ex interiori intentione pendeat. Et quamvis idem paulo inferius subjiciat, exteriorem actum, non solum ob internam agentis voluntatem, adorationis Divinæ naturam induere, sed talem quoque evadere, ac dici posse, si hujusmodi significatio exteriori illi actui tributa sit ab eo, qui tali potestate & auctoritate polleat: Attendenda est, præter intentionem internam, publica impressio; nam si hæc signa, sufficienti auctoritate & potestate, ad significandum Deum, & cultum, sunt impressa, solum ad Divinum cultum usurpari possunt, & si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria saltem exterior, si non ex animo, neque ex falsa estimatione fiat. Hæc tamen doctrina ad id, de quo nunc agimus, aptari non potest; quum nulli reperitur, auctoritate publica statutum fuisse, ut exteriores illi actus, qui supra descripti sunt, quique a Græcis fiunt, dum major Ingressus per Ecclesiam procedit, pro actibus & signis cultus Latriæ haberi debeant.*

S. 38. Quarto demum, quum in Congregatione super correctione Euchologii habita die 5. Septembris 1745. proposita fuerit quæstio, an abolendus, seu emendandus foret Ritus Ingressus majoris, de quo hucusque sermonem habuimus, omnibus mature discussis atque perpensis, constitutum denique fuit, nihil esse innovandum; idque subinde approbatione nostra firmatum extitit. Nec alia profecto fuit sententia Congregationum, quæ sub Urbano VIII. hanc ipsam quæstionem examinarunt. Placuit tamen consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi, alique animarum curam gerentes, & quorum ea est inspectio, ut rudem populum docere non prætermittant, quod dum sacra Dona a Prothesi ad Aram majorem solemniter ritu transferuntur, quum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi, prout futurum erit post peractam Consecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga præfata Dona nondum consecrata exhibentur, non ea ratione peraguntur, ut cultus Latriæ soli Deo debitus iidem præstetur, sed ut inferioris speciei cultus exercentur, cujus objectum est, futura transubstantiatio eorumdem Donorum in Corpus & Sanguinem Domini. Non ab similibi methodo usi sunt Tridentini Concilii Patres, quum actum fuit de veneratione cultuque Sacrarum Imaginum; decernentes

nimirum,

Sacrificium  
externum  
Creaturæ of-  
ferri nun-  
quam licet.

Alii actus  
externi Latri-  
am per se non  
significant,  
nisi legitima  
auctoritas  
eos ad id de-  
stinaverit.

Congregatio-  
nis con-  
clusio: Nihil  
est innovan-  
dum: a Pon-  
tificis appro-  
batur.

Prudens ta-  
men cautio  
superaddita,  
ad quodcum-  
que pericu-  
lum remo-  
vendum.

Cautionis  
norma de-  
sumpta est a  
Concilio Tri-  
dentini De-  
creto de Sa-  
ceris Imagini-  
bus.

nimirum, ut nihil immutata hac in re antiqua Ecclesiae disciplina, onus esset Episcoporum, aliorumque, quibus docendi munus est demandatum, Christianam Plebem erudire de omnibus, quae circa huiusmodi cultum tenenda, & servanda sunt, uti videre est in praedicti Concilii *sess. 25. Decreto de invocatione, & veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*. Quodque ad rem nostram proprius spectat, Goarius loco superius citato consilium similiter dedit, ut minime abrogaretur Ritus Majoris Ingressus, sed, ut populus opportunis documentis instrueretur: *erudienda est certe rustica plebs illius fides; devotio nunquam extinguenda, aut cultus ille externus omnino comprimendus*. Similiter Pater Philippus de Carboncino in *Appendice ad Tract. P. Antoine de Eucharistia §. 3.* ita concludit: *Nihil ergo in hoc est reprehendum; sed Gens illa rudis instruenda, ne Dona illa, ut Christi Corpus, & Sanguinem venerentur*. Quod quidem si a vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, praestabitur, quemadmodum facturos vos esse confidimus, eam a vobis procul amovebitis accusationem, qua Arcudius de *Concordia lib. 3, cap. 19.* Episcopos Graecos sui temporis reprehendit, dicens, Populum quidem tunc in summa ignorantia versatum fuisse; sed Episcopos facile potuisse idoneis instructionibus illius caecitati remedium asserre, nisi ob humanos respectus, ab huiusmodi onere implendo abstinuissent: *Possent autem, ac deberent Graecorum Antistites diligenter monere populum, & utique concordas multum proficerent; sed quoniam vel & ipsi laborant eodem morbo, & ex ignorantia in eodem errore versantur, vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam, & humanos favores, verentur; ne, instar Haereticorum, nomen ipsorum a vulgo conculcetur; propterea ipsimet, saltem externa specie caeterorum errorem egregie imitantur, atque silentio omnia praetereunt, ac dissimulant; ita caeci caecos ducunt, & omnes in foveam cadunt*.

§. 39. Porro Sacerdos celebrans, sacris indutus vestibus, antequam sacra Dona a minore Mensa, seu Prothesi, ad majus Altare transferantur, ad illam accedit, & Panem consecrandum dividit in plures partes. Pars major offertur, ut Deo Optimo Maximo debitus praestetur cultus, in memoriam Salvatoris Nostri Jesu Christi. Reliquae minores partes, quae *Merides* appellantur, Omnipotenti Deo similiter offeruntur; sed earum una in honorem gloriose Virginis Dei Genitricis Mariae, altera in honorem Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum nomina a Sacerdote enunciantur; alia vero pro salute vivorum, quorum etiam nomina ab eo recensentur; alia pro Defunctis, qui pariter nominatim commemorantur; alia in honorem illius Sancti, cujus Festus dies celebratur; relicta caeteroquin Sacerdoti facultate offerendi specialiter Sacrificium pro illo, aut illis, quos ipse maluerit. Ritus huiusmodi divisionis Panis in plures partes, prout a Nobis descriptus est, jam dudum viguisse probatur ex Typico Irenae Augustae, edito a Patre Montfaucon *Tom. 1. Analect. Graecor. cap. 34.* Si vero Episcopus, aut Presbyter primi Celebrantis personam sustinens, cum aliis Sacerdotibus concelebrat, & Diaconi quoque in officio ministrantes assistant, non modo quilibet Sacerdos, sed unusquisque etiam ex Diaconis, Hostiam unam majorem offert, simulque minores particulas, seu *Merides*; ex quibus, si quae demum superflua a Celebrante, seu Celebrantibus non consummate, esse distribuuntur adstantibus, qui Eucharisticae Communionis participes fieri petunt. Haec omnia exacte describunt, & narrat

Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib. 2. cap. 1. num. 7.* Arcudius *lib. 3. de Concordia cap. 9.* & Goarius *ad rituale Graecorum, in notis ad Liturgiam Sancti Joannis Chrysesti. pag. 98. & seq.*

§. 40. Nulla inter Catholicos exstitit controversia circa Ritus Majoris Hostiae, aliarumque minorum, quae *Merides* appellantur. Quum enim de eo instituta fuisset quaestio in Oecumenica Florentina Synodo, adnotatum est in Actis, Archiepiscopum Mitylensem propositis interrogationibus cumulate satisfecisse. Et quavis ibi relatus non sit illius responsonum tenor; non aliter tamen interrogationibus satisfecisse censendus est, quam ostendendo antiquitatem huiusmodi Ritus per plura saecula in Orientali Ecclesia observati, cujus ea est significatio, ut diversos innuat fines, ob quos Sacrificium offertur. *Puto dixerit, hanc esse antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines Sacrificii: sunt ipsa Arcudii verba praefato lib. 3. cap. 9.* Porro nullam diximus super hoc Ritu viguisse controversiam inter Catholicos; è Schismaticis enim, constat, Simeonem Archiepiscopum Theffalonicensem, in suo *Tractatu de Sacramentis*, addubitare se ostendisse de consecratione Particularum. Sed quam irrationabile fuerit illius dubium, unusquisque facile deprehendere potest: Quum enim Sacerdos ad sacrum Altare Consecrationis formam non minus proferat super majore portione, quam super minoribus particulis; quumque & illius intentio ad omnium consecrationem aequè dirigatur, & earum omnium materia ad sacramentalem transmutationem idonea sit; si portio major consecrationem recipit, profecto consecrari quoque oportet minores illas particulas, quae, uti jam diximus, *Merides* appellantur.

§. 41. Controversia quidem fuit inter Catholicos circa Oblationem, quam a Diaconis fieri superius innuimus. Arcudius *lib. 3. cap. 17.* demonstrandum sumit, id illis per sacros Canones licitum omnino non esse. Goarius ad *Euchologium pag. 72.* testatur, Oblationem Diaconalem in magna Constantinopolitana Ecclesia usu receptam non fuisse. Nec desierunt, qui contenderent, expungenda esse ab Euchologio verba, quae pertinent ad Oblationem Diaconalem, utpote a Schismaticis adjecta. Contra vero Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 1. num. 7.*, nullum esse Canonem tuetur, qui huiusmodi Ritui obstat, quum sacri Canones eam quidem Oblationem excludant, quam Diaconus ad sacrum Altare facere praesumeret, non autem eam, quam ad Prothesim peragit, quippe quae nihil aliud est, quam preparatio ad aliam a Sacerdote perficiendam in sacro Altari. Ad haec idem Cardinalis ostendit, antiquam esse Ritus oblationis Diaconalis, & a pluribus saeculis in Ecclesia Graeca observatum; cumque de eo disputatum fuerit etiam in Florentino Concilio, satisfactum fuisse Patribus ibi adunatis, per responsones ab Archiepiscopo Mitylensi datas. Similiter Berlendis *Tractatu de Oblationibus impress. Venetiis anno 1743. §. 5. pag. 143.* inter functiones Diaconorum, admittit Ritus Oblationis ad Prothesim, interdicto eidem jure offerendi ad Altare, quod solis Sacerdotibus competit: *Illud offerendi Diaconomunus attributum, intelligi de prima Particularum oblatione, dum super mensam, Prothesim vocatam, adhuc adjunt; non vero de aliis duabus oblationibus, quae a Sacerdote inter Liturgiam fiunt.*

§. 42. Sanctus Ambrosius virtutem Sancti Laurentii praedicans, qui, Diaconus quum esset, una cum Sancto Sixto Pontifice ad martyrium duci exoptabat, sic eum loquentem

De Hostiarum divisione in Concilio Florentino vindicata: nulla nunc quaestio inter Catholicos.

Temerarium dubium de portione minorum consecratione a Schismatico excitatum.

Controversia vigens de Oblatione Diaconali, ac dissidentes de ea Scriptorum sententiae.

Dispensatio, seu Consecratio Corporis Christi, in nonnullis veteribus mo-

Alia fun-ctio, quae ad Prothesim, & proxime ad Majorem Introitum habetur, nimirum oblatio Panis consecrandi in plures partes divisi.

Hostiarum oblatio ad Prothesim, non solum a Sacerdotibus, sed etiam a Diaconis fieri solet.

inducit:

1756.

umentis  
Diaconis tri-  
buta, quid  
importet.

inducit: *Experire utrum idoneum Ministrum e-  
legeris, cui commisit Dominici Sanguinis dispen-  
sationem.* Scimus quidem nonnullos Codices,  
pro verbo *dispensationem*, hoc aliud habere: *con-  
secrationem*: At consecratio hoc loco nihil aliud  
significat, quam ministerium, sive assistentiam  
Sacerdoti consecranti prestitam: *Nobis Diaconis  
consecratio illius salutaris Hostie committitur,  
non ut consecramus, sed ut conscientibus humili-  
ter assistamus*; ait Petrus Blefensis in sua *Episto-  
la* 123. Nec absimilis est explicatio Petri Can-  
toris apud Menardum in *Notis & observationi-  
bus ad librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 287.*  
Subdiaconus enim veritum semper fuit, Eucha-  
ristiam populo ministrare, sive sub specie Pa-  
nis, sive sub specie Vini; juxta Canonem  
Laodicenum XXV., & in eum notas Balsa-  
monis, Zonaræ, & Aristeni: nisi videre est  
apud Beveregium *Tom. 1. pag. 464.* Non sic autem  
Diaconus, quibus olim specialiter deman-  
data erat sola Dominici Sanguinis distributio,  
quæ deinde, ob enatos quosdam abusum, ipsis  
etiam adempta fuit: uti demonstrat Cotelerius  
ad *cap. 13. lib. 8. Constitucionum, quæ Apostoli-  
cæ dicuntur Tom. 1.*

§. 43. Jam vero in Congregationibus habi-  
tis tam sub Urbano VIII., quam nostris hinc  
temporibus, minime prætermisum fuit examen  
propositæ questionis; utrum tollenda esset Obla-  
tio, quæ a Diaconis fiebat ad Prothesim. In ea  
autem, quæ habita est die 3. *Januarii anni  
1745.*, rescriptum fuit, Nobis deinde approban-  
tibus, *nihil esse innovandum.* Validiores enim  
atque firmiores visæ sunt rationes huic  
Ritui faventes, per Cardinalem Bonam allata,  
quam illæ, quas ad oppugnandum eundem  
Ritum congestit Arcudius. Itaque in nova Eu-  
chologii editione intactus relictus est Oblatio-  
nis Diaconalis Ritus. De qua licet nulla men-  
tio fiat in eo capite secundi Moniti, de quo  
hucusque egimus; Nos tamen hæc aliquid cir-  
ca eam innuendum duximus; tum quia una  
est hæc actio, quæ ad Prothesim fiunt,  
quæque præcedentis sermonis objectum fuerunt;  
tum quia nullam elabi finisum occasionem,  
quæ Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii,  
magis magisque testatum fiat, nequaquam in-  
sentiam esse vestris Ritibus Romanam Ecclesiam,  
quin potius eam pro viribus id agere, ut in-  
violati ferventur ii, qui errorem nullam, nihil-  
que indecorum contineant.

§. 44. Tertium modo se se offert Monitum,  
duabus partibus constans, & sequentibus verbis  
conceptum. *Præterea meminisse debent Sacerdo-  
tes, Sacramentum Sancti Olei, quod Euchelæon  
dicitur, a Christo esse institutum, tamquam cele-  
stem medicinam, non pro anima tantum, sed etiam  
pro corporis salute: solis proinde infirmis admini-  
strandum, non autem bene valentibus; & in eo  
quidem tempore, in quo sibi constant, & sui  
compotes sunt; ut ita majorem Sacramenti gra-  
tiam recipiant, si cum Fide ac devota voluntate  
accedentes, Oleo Sancto unguantur. Item sciendum  
est, quod, quamvis Orientalis Ecclesia Pontifices  
in consecrando Sacro Chrismate pluribus de more a-  
romatibus utantur, necessaria tamen Sacramenti ma-  
teria sunt oleum, & balsamum, quibus, secundum  
antiquum Ecclesie Orientalis morem, aliæ aroma-  
tum species recte admiscuntur, si juxta præscriptum  
adsint. Verum si earum quedam desint ( dummodo  
oleum, & balsamum adsint, ) tamquam non ne-  
cessaria ad Chrysmatis materiam, rite omnino San-  
ctum Chrisma conficitur.*

§. 45. Sacramentum hoc, quod a Latinis  
*Extrema Unctio* dicitur, eodem plane nomine a  
Græcis appellatum legitur in Concilio Generali  
Lugdunensi secundo, ex Orientis, & Occidentis  
Præsulibus coacto, anno Domini 1274., cujus Ac-  
ta leguntur in *Collectione Harduini Tom. 7. pag.*

695., quum scilicet Latini simul & Græci for-  
mulæ Fidei communibus sententiis probatæ sub-  
scripserunt. Dicitur etiam a Græcis Sacramentum  
hoc, Oleum consecratum, & sanctificatum præ-  
cibus Sacerdotum, atque perfectio, seu consumma-  
tio Sacramenti Penitentia. In Euchologio  
Goarii *pag. 346. num. 42. & pag. 349. num. 1.*  
nominatur *Euchelæon*; idemque nomen a Scrip-  
toribus sequioris ævi usurpatum legitur, uti vi-  
dere est apud Georgium Pachymerem *lib. 6. Hi-  
stor. Paleol. cap. 32.*, ubi Possinus idem quoque  
notavit, *lib. 1. Glos. pag. 386.*, apud Gabrielem  
Philadelphium *De Sacramento Euchelæi, & Tom. 1.*  
*Actorum Ecclesie Orientalis pag. 348.* Præterea  
nonnunquam, licet rarè, idem Sacramentum a  
Græcis nuncupatum invenitur *Heptapapadum*,  
quemadmodum legitur in Synodo Constantinopoli-  
tana, sub Patriarcha Joanne Vecco habita  
anno Domini *MCCCLXXVII. in dicta Collectione Har-  
duini Tom. 7. pag. 758. B.*, ubi idem Patriarcha,  
amplectens confessionem Fidei in Lugdunensi  
Concilio statutam, ita ad Romanum Pontificem  
Joannem XX., dictum XXI., scribit: *Extremam  
Unctionem etiam ipsam recipimus similiter cum aliis  
Sacramentis, quæ & a nobis celebrata, Heptapapa-  
dum nominatur, id est Officium septem Sacerdo-  
tum, hoc quippe modo a Græcis Sacramentum  
istud ministratur.*

§. 46. Nos hæc nihil dicemus de hujus Sacra-  
menti institutione a Christo facta, aut de illius  
effectu; nihil de legibus circa illius ministratio-  
nem fervandis, ut scilicet solis Fidelibus gravi-  
ter ægrotantibus, non autem bene se habentibus,  
ministraretur; neque tamen expectetur tempus il-  
lud, quo æger jam suæ mentis compos non est;  
nihil præterea de quibusdam Ritibus Ecclesie  
Græcæ, in qua videlicet Oleum Infirmorum,  
non solum ab Episcopo, ut apud Latinos, sed  
etiam a simplice Presbytero benedicitur, & Sa-  
cramentum Extremæ Unctionis, non ab uno tan-  
tum, sed a pluribus simul Sacerdotibus ministrat-  
ur; quum de his omnibus plura tradiderimus in  
nostro *Tractatu de Synodo Diocesana noviss. edit.  
lib. 8. a cap. 1. ad tot. cap. 8.* Sed ad illustran-  
dam tantummodo priorem partem hujusce tertii  
Moniti, hoc adjiciemus, quod quum & olim  
sub Urbano VIII., & superioribus Pontificatus  
nostri annis, disceptatum diu fuerit, an a Græ-  
co Euchologio delenda essent quedam verba,  
quæ innuere videntur, licitum esse, hoc Sacra-  
mentum etiam bene valentibus ministrare; in  
Confessu habito die 3. *Septembris anni 1747.* defi-  
nitum fuit, deindequæ a Nobis probatum, ut nihil  
in Textu immutaretur; sed quæ necessario ser-  
vanda erant, adnotarentur in Monito, quod in-  
itio Euchologii præponeretur; id quod est factum  
per verba superius exscripta, monendo Græcos  
Sacerdotes, ne Sacramentum Extremæ Unctionis  
ministrarent bene valentibus, sed iis duntaxat, qui  
gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum  
est Euchologii Textum hic mutare; propterea  
quod, illius verbis undequaque perpensis, ap-  
paruit, rectum illis sensum, sanamque interpre-  
tationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur,  
ut Sacramentum ministraretur iis, qui bene valent,  
sed ut ii quoque unguantur, qui ad Ecclesiam se  
conferunt; id quod percommode intelligi po-  
test de iis etiam, qui, licet gravi morbo affe-  
cti, possunt nihilominus ad Ecclesiam vel pe-  
dibus suis accedere, vel aliorum ope deferri;  
ibique, ut propriæ devotioni magis satisfaciant,  
Extremæ Unctionis Sacramentum sibi ministrari  
postulant; cujusmodi exempla in ipsa quo-  
que Occidentali Ecclesia non desunt, uti vi-  
dere licet apud Martene, *de antiquis Ecclesie  
Ritibus lib. 2. cap. 7. art. 2. num. 7. & 8.* Et  
penes Mabillonium in *Præfatione ad Seculum  
primum, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini  
S. 9. num. 101.*

Nonnulla de  
hoc Sacra-  
mento alibi  
videnda, in-  
dicantur.

Græca Eucha-  
logii verba,  
de Sacramen-  
to ministran-  
do iis, qui ad  
Ecclesiam ve-  
niunt, in qua-  
stionem re-  
vocata.

Iuxta inter-  
pretationem  
explicantur,  
ac retinentur,  
adjecto præ-  
fenti Monito.

Diaconalis  
Oblatio ad  
Prothesim in-  
tacta serva-  
tus, & quare?

Tertium Mo-  
nitum de Sa-  
cramento Ex-  
tremæ Uncti-  
onis.

Varia nomi-  
na, quibus Sa-  
cramentum  
illud a Lati-  
nis, Græcis-  
que designa-  
tur.

1756.

Subjectum capax Extreme Unctionis, Christi-fidelis graviter aegrotans.

Inunctio benevalentis, Oleo lampadis, ut apud Græcos in usu est, non prohibetur.

Non tamen licet Sacrum Oleum adhibere, quamvis non proferatur Sacramenti forma.

Multo minus Unctionem cum Sacro Oleo imponere sacramentaliter confessis, in satisfactionem sacramentalium.

Ceremonialis inunctio cum sacro Oleo, quando, & quibus casibus apud Orientales invecita.

§. 47. Coherentia sunt cum hac prima parte tertii Moniti, duo hæc, quæ advertenda sub-jicimus. Primum, quod quamvis Græcis diserte vetitum fuerit, Extreme Unctionis Sacramentum aliis conferre, præterquam aegrotis, & quidem gravi morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus Oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in Ecclesia asservatur, inungant Energumenos, aliosve, qui vel devotionis gratia, vel ut aliquo incommodo liberentur, hujusmodi Unctionem petunt; quum Oleum in ea lampade asservatum, nequaquam ab Episcopo, aut Sacerdote consecratum sit, ad effectum utendi eo in Extreme Unctionis administratione. Haud ignoramus, postulatam aliis fuisse, ut Græcis permitteretur, Extreme Unctionis Oleo extra gravis infirmitatis casum se inungere, absque eo quod Sacramentalis forma a Sacerdote pronunciaretur; ea scilicet ratione allata, quod per solam applicationem Materiam, Sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea Formæ prolatio. Verum nec id receptum fuit, nec recipi illo modo potest: quum minime liceat Sacramentum a Christo institutum in arbitriam quandam, licet piam, caeremoniam convertere; ut etiam recte observat Pater de Carboneano in *Appendice ad Tractatum P. Antoine de Extrema Unctione §. 4. pag. 661.*, & quamvis, pro eo quod pertinet ad Larinam Ecclesiam, Quintanadueñas in *Tract. 5. de Extrema Unctione, singular. 11.* asseruerit, licere Parochis mittere ad aegrotos, aliosque petentes; Oleum Sanctum Infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se limitant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus penis a Tribunali Ecclesiastico plecteretur, vel tanquam abutens Sacramento Ecclesie, vel tanquam suspectus non recte Fidei circa Sacramentum Extreme Unctionis, ut opportune advertit Clericatus de *Sacramento Extreme Unctionis decis. 70. num. 32.*

§. 48. Alterum est, quod, stante prohibitione administrandi Sacramentum Extreme Unctionis extra gravis morbi necessitatem, quum jam definitum sit, satisfactionem, seu penitentiam, quæ a Sacerdote Confessario sacramentaliter confessis imponitur, consistere potissimum debere precibus, jejuniis, & elemosinis (quemadmodum habetur in Decreto a fel. record. Eugenio PP. IV. pro Instructione Armenorum edito); minime licet, Penitenti confessio pro satisfactione, seu penitentia imponere, ut Extreme Unctionis Oleo inungatur. Invecita sane olim fuit inter Orientales hujusmodi Unctio, veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex Canone LXXIV., ex iis, qui in versione Arabica Nicæno Concilio tribuuntur, in *Collectione Harduini Tom. 1. p. 492.* ubi statutum legitur, ut si quis Fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam penitentiam, Ecclesie reconcilietur per *Aquam benedictam, & Oleum Infirmorum.* Exinde vero, si fides habenda est Joanni Nathanaeli in responsione de *Moribus Græcorum*, & Francisco Richardo de *Expeditione sacra cap. 12.* abusus alter inductus fuit, ut penitentibus divitibus, pro Sacramentali Penitentia, hujusmodi sacra Unctio passim imponeretur, ex cuius satisfactionis usu, non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non prætermittit fel. rec. Innocentius IV. Pontifex Maximus, dum in Epistola sua ad Tusculanum Episcopum ita scripsit §. 6. *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione Penitentia, Unctio aliqua solummodo injungatur.* Hoc idem statutum legitur in Synodo apud Nicosiam celebrata, in *dict. Collect. Harduini Tom. 7. pag. 1714.* Nofque etiam hujusmodi præceptum instauravimus in

Constitutione Nostra: *Etsi Pastoralis §. 5. Bul-larii nostri Tom. 1. num. LVII.* \* Videatur etiam Thiers de *Superstit. lib. 8. cap. 6.* Porro Arcadius loquens de Græcis Presbyteris, qui Penitenti apud se confesso, sacram Unctionem penitentia loco imponebant, asserit eos, in ipsa unctione peragenda, Sacramentali forma uti consuevisse, idque gravibus sane verbis reprehendit; ut legitur in ejus Opere de *Concordia lib. 5. cap. 4. §. Ego presentem.* Verum Goarius in *notis ad Euchologium pag. 350.* negat hanc Græcis mentem fuisse, ut in ejusmodi Unctione peragenda Sacramentum conferret: *Non ita tamen, ut unctio precibus adjuncta ex opere operato anima deleat infirmitates, sed, si quid possit, ex penitentis tantum devotione, aut ex Sacerdotis deprecantis charitate, id est ex opere operantis, illud valet producere.* Nihilominus præfatam qualemcumque consuetudinem ipsemet improbare non omittit; dum omnino curandum dicit, ut Græci hac in re ita se gerant, quemadmodum docet Sancta Romana Ecclesia omnium Christifidelium Mater, & Magistra; quum præsertim ex præfate unctionis usu plura, & gravia sequantur absurda, dum vel Sacramentum Extreme Unctionis confertur bene valenti, adeoque ei, qui subjectum capax hujusmodi Sacramenti non est; vel Sacramenti materia & forma adhibetur, ut superius indicatum fuit, absque intentione ipsius Sacramenti conficiendi & ministrandi.

§. 49. Secunda pars tertii Moniti pertinet ad Sanctum Chrisma; quod quidem a Græcis conficitur non Oleo dumtaxat & Balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem Moniti parte, unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse hujusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri, in Oleo & Balsamo consistere materiam Sacramenti, adeoque, si aliquid deficiat ex aliis aromatibus admixti solitis, nihil deesse, quod necessarium sit ad Sacrum Chrisma conficiendum.

§. 50. Apud Græcos nihil præscriptum legitur de impositione manuum in administrando Chris-matis Sacramento. Morinus in suo *Troctatu de Confirmatione cap. 4.* ita scribit: *Ut Latini constantissime impositionem manuum unctio-ni conjunxerunt, sic Græci non minus constantiter alterum ab altero separarunt, solumque Chrismate in administratione istius Sacramenti usi sunt; manuum enim impositionis non meminimus nec recentia Euchologia, nec antiqua.* Hoc idem constantiter asserit Goarius in *Euchologio pag. 299. num. 28.* Renaudotius in *Opere de Perpetuitate Tom. 5. lib. 2. cap. 12.* testatur, a pluribus retro sæculis, nullum in Ecclesia Græca reperiri vestigium impositionis manuum in conferendo Sacramento Confirmationis; suæque assertionis auctores laudat recentiores Græcos sacra eruditione præstantes, Simeonem Theffalonicensem, Gabrielem Philadelphum, Sirinum, aliosque. Modernus Scriptor Chardon in *Historia Sacramentorum lib. 1. cap. 1. de Confirmatione*, contendit quidem, prioribus sæculis in Ecclesia Græca adhibitam fuisse manuum impositionem in conferendo Chrismatum Sacramento, sed tamen ultro concedit, multis ab hinc sæculis, nullum illius superesse vestigium. Denique Dilectus Filius Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd., nunc temporis Palatii nostri Apostolici Magister, in *Dissertatione Historico-Theologica*, quam olim edidit de *Chrismate Confirmatorio*, compluribus monumentis erudite congestis, demonstrat, materiam Sacramenti Confirmationis apud Græcos non esse manuum impositionem, sed sacrum Unguentum. Nec ideo dici potest, id quod a nonnullis temere affirmatum fuit, non adesse in Ecclesia Græca Sacramentum Confirmationis,

1756.

\* In hac Editione Tom. XVI. pag. 94.

An in ea Unctione perficienda pro-lata fuerit sacramentalis forma, confectumque Sacramentum?

Absurda, ob quæ re-probata fuit hujusmodi unctio.

Sacrum Chrisma ex quibus apud Græcos conficitur.

Apud eos nulla mentio de impositione manuum in Confirmationis Sacramento ministrando.

Necesse tamen est asserere, in Ecclesia Græca deficere Confirmationis Sacramentum.

propter-

Theologi  
quæstiones de  
ritu ab Apo-  
stolis servato  
in ministran-  
da Confirmati-  
one, deque  
ejusdem Sa-  
cramenti ma-  
teria.

Licet opinio-  
nem quamli-  
bet sequi, dū-  
modo non  
negetur, ad-  
esse in Græca  
Ecclesia Chris-  
matis Sacra-  
mentum.

Quæstionib.  
topis, tra-  
ditur quid ru-  
to sentiendū,  
& tenendum  
sūt, de Sacra-  
mento Con-  
firmationis in  
Latina Eccle-  
sia.

propterea quod in ea impositio manuum defi-  
ciat: Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi  
persuaserit, tot sæculorum decursu, in tam am-  
pla Christiani Orbis parte, atque in Ecclesia  
non minus doctrina, quàm sanctitate illustri,  
defecisse Confirmationis Sacramentum; ut op-  
time ad rem nostram pergit Goarius loco cit.  
*At vero tam amplam & spatiosam, tam eruditam,  
& Apostolicarum, Ecclesiasticarumque sanctionum  
tenacem Christiani Orbis portionem, adeo exqui-  
situm Sacramentum respuisse, neglexisse, vel igno-  
rassse, pauci, me quidem iudice, dicere attempta-  
bunt.*

§. 51. Caput hoc injustæ atque inopportu-  
næ disensionis inter Latinam & Græcam Eccle-  
siam, originem traxit a controversiis, quæ inter  
nostrates Theologos agitari solent. Disputant  
hi, utrum Apostoli Sacramentum Confirmati-  
onis ministraverint per manuum impositionem,  
an etiam sacro Chrismate adhibito; & quidem,  
ut assolet, nonnulli affirmant, quod alii negant.  
Disceptatur etiam inter eos, an sola manu-  
um impositio sit materia hujus Sacramenti;  
nonnullis tuentibus, in ea dumtaxat consistere  
Sacramenti materiam; dum alii malunt in Sa-  
cro Chrismate statuere materiam remotam Sa-  
cramenti, proximam vero in illius applicatione,  
quæ fit cum signo Crucis ad Confirmandi fron-  
tem; juxta id, quod legitur in Decreto pro  
Armenorum instructione ab Eugenio IV. Pon-  
tificæ edito: *Secundum Sacramentum est Confir-  
matio, cujus materia est Chrisma, confectum ex  
Oleo, quod nitorem significat conscientie, & balsa-  
mo, quod odorem significat bonæ fame, per Episcopum  
benedictio.* Ubi etiam Pontifex loquens de  
manuum impositione, quæ ab Apostolis hoc  
Sacramentum ministrantibus fiebat, ita subdit:  
*loco autem illius manus impositionis, datur in Ec-  
clesia Confirmatio.* Alii denique impositionem  
manuum, & Chrisma simul jungunt; dicentes,  
tam illam, quàm istud, materiam esse Sacra-  
menti Confirmationis; sed illam æque, ac i-  
stud, materiam inadæquatam, quotiescumque  
seorsim considerentur; si autem simul jungan-  
tur, tunc, ajuat, in ipsam ita conjunctis ma-  
teriam totalem Sacramenti consistere. Cæte-  
rum ipsam manuum impositionem, alii putant  
eam esse protensionem manuum, quam facit Ep-  
iscopus versus Confirmandos, sub initium  
sacræ actionis, dum priores recitat preces;  
alii eandem agnoscunt in ipso unguendi actu,  
quo Episcopus signat frontem illius, quem con-  
firmat; cum nequeat alicuius frons unguento li-  
niri, nisi manus eidem imponatur. Hæ sunt  
controversiæ, de quibus Theologi nostri dispu-  
tant; & circa quas unicuique licet eam sequi  
partem, quæ magis ipsi placuerit. At nemini fas  
est asserere, in Ecclesia Græca non adesse Sa-  
cramentum Confirmationis. Si quis enim hanc  
opinionem tueretur, huic manifeste obstaret  
verus Orientalis Disciplina, quam Apostolica  
Sedes optime perspectam habuit, nec unquam  
damnavit, aut improbavit, juxta quam in Græ-  
corum Ritualibus libris nulla fit mentio de ma-  
nuum impositione, tamquam materia adæqua-  
ta, aut inadæquata Sacramenti Confirmationis.  
Quare ad evadendum hujus difficultatis laby-  
rinthum, alio filo utendum est, quod quidem  
diligenter inquirenti non deerit; absque eo  
quod super propositione incerta, & nullibi de-  
finita, stabilis reprobatio alienæ opinio-  
nis & sententiæ, quæ defensoribus orthodoxis  
non caret.

§. 52. Quod itaque extra controversiam  
est, hoc dicatur; nimirum in Ecclesia Latina  
Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito  
sacro Chrismate, seu Oleo Olivarum, Balsamo  
commixto, & ab Episcopo benedicto, ductoque  
signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte

suscipientis, dum idem Minister Formæ verba  
pronuntiat. Et quidem pro iis Regionibus, in  
quibus vera Balsami species non reperitur, haud  
recusant Romani Pontifices indulgere, ut ad  
conficiendum Chrisma liceret uti certo quodam  
fragranti succo, seu liquore, qui communi-  
ter pro vero Balsamo accipitur, ut videre est  
in Constitutione 186. Sancti Pii V. in Bullario  
novo Roma edito Tom. 4. Part. 3. \*, per quam  
videlicet Constitutionem, Indiarum Episco-  
pis ejusmodi Indultum conceditur; & in Con-  
stitutione 47. Sixti V. eodem Bullar. eodemque  
Tom. 4. Part. 3. \*, ubi exposita veri Balsami pen-  
uria, ex eo potissimum proveniente, quod ar-  
busta illa, ex quibus major illius copia educe-  
batur, quæque olim in Palæstina, & maxime  
in Valle Jericho frequentia erant, a Turcis ex-  
cisa, & radicitus extirpata fuerant; conceditur  
Archiepiscopis & Episcopis Lusitanæ, ut in con-  
ficiendo sacro Chrismate, adhibere possint  
Balsamum, ex Brasilia, aliisque novi Orbis, In-  
diarumve Regionibus allatum; eaque in re Pon-  
tifex suorum Prædecessorum Pii IV., & Grego-  
rii XIII. exempla sequi se proficitur. Quorum  
sanæ Pontificum providentiam collaudat Morinus  
in suo opere posthumo de Sacramento Confir-  
mationis pag. 35. In Ecclesia Græca similiter  
Confirmationis Sacramentum confertur, adhi-  
bito sacro Unguento, quod compositum est ex  
Oleo Olivarum, & Balsamo, ac insuper ex aliis  
fragrantium herbarum speciebus, quæ sunt nu-  
mero vigintitres, adjecta quoque aliqua vini  
portione. Prædictas omnes herbas odoriferas  
accurate enumerat Habert in librum Pontificalem  
Ecclesia Græca, observat. 5. ad Ritu Chrismatis,  
& Pater Berti Tom. 7. sue Theologia lib. 32.  
cap. 5., qui tamen subdit, difficile admodum  
sibi videri, omnes illas herbas ab Haberto in-  
dicatas sacro Unguento a Græcis infundi, quum  
nonnullæ ex illis incognitæ sint, ita ut vix ali-  
qua earum mentio extet in lexicis, & in libris  
Auctorum, qui de plantis herbisque tracta-  
runt. Sed quidquid sit de his, quum antiquus  
sit usus commiscendi has herbas Oleo, & Bal-  
samo, intactus relictus est ritus in Monito, de  
quo nunc agimus; admonitis tantummodo Græ-  
cis, ne aliud quidpiam ad materiam Sacramenti  
necessarium putent, præter Oleum & Balsamum;  
utque proinde validam agnoscant hujus  
Sacramenti ministracionem, quæ fiat cum O-  
leo & Balsamo ab Episcopo rite benedictis,  
etiamsi aliquæ forte defuerint ex illis herbis,  
quæ, juxta eorum ritum, in sacri Unguenti com-  
positione admisceri solent. Sapienter etiam,  
& magna cum ratione, in Synodo Zamoseicæ  
habita anno 1720. animadversum fuit a Patri-  
bus §. 2. de Confirmatione, quidquid herbarum  
Balsamo adjiciatur, cavendum esse, ut maxi-  
ma pars Chrismatis semper sit Oleum Balsamo mix-  
tum.

§. 53. Expensa jam secunda parte tertii Mo-  
niti, nonnulla hæc, appendix loco, subnecte-  
mus, quæ nec inopportuna, nec a proposito a-  
liena jure censeri poterunt, quum & ejusdem Sa-  
cramenti Confirmationis doctrinam respiciant,  
& ad Euchologii correctionem pertineant.

§. 54. Forma Sacramenti Confirmationis  
in Græca Ecclesia, juxta communem recepram-  
que sententiam, sequentibus verbis continetur:  
*Signaculum Domini Sancti Spiritus;* quæ verba pro-  
nuntiantur ab eo, qui Sacramentum ministrat,  
dum suscipientis fronti cum sacro Unguento  
Crucis signum imprimit; uti colligitur ex Canone  
7. Concilii Constantinopolitani I., in Collectio-  
ne Harduini Tom. 1. pag. 811., utque ex illius  
Canonis verbis recte perpensis infert Bessarion  
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in suo Opuscu-  
lo de Eucharistia, quod impressum habetur in Bi-  
bliotheca Patrum edit. Lugdunen. Tom. 26. pag. 795.

\* In hac  
Editione  
Tom. II.  
Conf. XII.  
pag. 20.

\* In hac  
Editione  
Tom. II.  
Conf. LXXV  
pag. 669.

Quidque de  
ejusdem mi-  
nistracione,  
& confectio-  
ne in Ecclesia  
Græca.

Appendix ad  
tertium Mo-  
nitum.

Forma Sacra-  
menti Confir-  
mationis a-  
pud Græcos  
Signaculum  
Domini Sancti  
Spiritus.

Secunda Oecumenica Synodus, verba, qua sacrum Chryisma perficiunt, tradens in septimo Canone, ita inquit: *Obfignantes, hoc est facratissimo Chrysmate eos chrysmantes, dicimus: Signum Domi Spiritus Sancti: & hec verba, secundum eos, Chrysmatis Sacramentum perficiunt.* Quamvis autem hæc Cardinalis asserio oppugnata fuerit a Lupo in notis ad Canonem 95. Concilii Trullani; vix tamen erit, ut Lupi sententia plures inveniat suffragatores, præ sententia Cardinalis Bessarionis, ut optime advertit Arcudius lib. 2. cap. 7., ubi post relatum Bessarionis effatum, hæc subdit: *Hætenus Bessarion; quo certe, que sunt in Ecclesia Orientali circa Sacramentorum administrationem, præstantius callere poterat nemo.* Arcudio consentit Goarius in notis ad Euchologium pag. 301. num. 31. Item Habert in suis notis ad Pontificale Græcorum Observat. 4. n. 2. Et, omiſſis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quæ habentur in Synodo Zamosciz, ubi agitur de Sacramento Confirmationis: *Forma, quam probata, & seorsumate ipso antiquiora laudant Euchologia, hæc est: Signaculum Domi Spiritus Sancti, amen: eaque semel dumtaxat, simul cum ipsa Unctione proferri debet.*

Ex Decreto Sancti Methodii de reconciliandis Apostatis, & ex nonnullis Euchologiis, dubium ingeritur, de iteratione Sacramenti.

§. 55. Celebre est in Ecclesia Græca Decretum Sancti Methodii Patriarchæ Constantinopolitani, qui medio circiter nono sæculo floruit, ac semper in id maxime incubuit, ut aberrantes ad sanctæ unitatis gremium revocaret. In quo Decreto quum illud statutum reperitur, ut, qui ab Ecclesia desciverunt, deindeque ad illius sinum revertuntur, sequenti ratione recipiantur: *Oratione completa, sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illum inungit, Crucis signo expresso in fronte, & oculis, & naribus, & ore, & duabus auribus, & manibus, & pectore, & scapulis, dicens: Signaculum Domi Spiritus Sancti:* Hinc oritur magni sane momenti difficultas, dum alterutrum dicendum videtur; aut scilicet ea verba: *Signaculum Domi Spiritus Sancti,* non esse in Ecclesia Græca formam Sacramenti Confirmationis; aut in eadem Ecclesia Græca Sacramentum hoc iteratò conferri iis, qui jam semel ipsum, & quidem valide, susceperunt, si deinde, post apostatizæ crimen, ad Ecclesiam reverti velint; quod sane contrarium est receptæ sententiæ, quæ pro inviolabili regula habetur, ut Sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari nequeant iis, qui semel valide ea susceperunt; juxta definitionem Tridentinæ Synodi Sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 9. Nec quicquam prodest confugere ad supra citatum Canonem 7. Concilii Constantinopolitani I., quo statuitur, ut sacro Chrysmate reconciliantur Ariani, Macedoniani, Novatiani, & Appollinaristæ, quum ab hæresi conversi ad Ecclesiam se se recipiunt. Hujus namque Canonis sanctio prænomi-natos tantummodo Hæreticos respicit, qui Sacramentum Confirmationis, aut nullo modo, aut invalide conferebant. At Sancti Methodii decretum generale est, eosque omnes complectitur, qui post defectionem ad Ecclesiæ sinum redire cupiunt. Quum autem in quibusdam Euchologiis, ubi de poenitentium reconciliatione agitur, eadem legantur præscripta, quæ habentur in Decreto Sancti Methodii; sequitur, ut eadem difficultas, quæ circa Decretum hujusmodi offenditur, in præindictis etiam Euchologiis occurrat.

Variz de eo Decreto opinionibus minus certis.

§. 56. Incredibile est quantopere se torqueant Scriptorum ingenia, ut propositæ difficultati satisfaciant. Sunt qui asserunt, Decretum illud nequaquam conditum fuisse a S. Methodio Patriarcha Constantinopolitano, qui, ut superius innuimus, floruit anno Christi DCCCXLII., sed ab alio quodam Methodio Patriarcha schif-

matico, qui Urbis Regiæ Sedem occupabat anno MCCXL. Sed quum Goarius in notis ad ipsum Decretum, quas addidit ad Calcem Euchologii a se illustrati, pag. 698. testetur se complura vidisse monumenta temporibus hujusce Methodii antiquiora, quæ illud ipsum Decretum Sancto Methodio Patriarchæ tribuunt; hoc satis est ad demonstrandam responsionis hujusce levitatem. Sunt alii, qui & admittunt, verba illa: *Signaculum Domi Spiritus Sancti,* esse formam Sacramenti Confirmationis; & agnoscunt, juxta Decretum S. Methodii, quoties Apostatae conversi in unitatem Ecclesiæ recipiebantur, eadem verba proferri debuisse, dum poenitentes sacro unguento ungebantur; sed tamen putant non ideo affirmari posse, Sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis, qui jam semel illud susceperant; quum ad collationem Sacramentorum necessaria sit intentio Ministrum; in ea autem actione satis appareat non fuisse Ministrum intentionem, ut Sacramentum conferret, sed ut Apostatam conversum Ecclesiæ reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel Theologia Tom. 6. edit. Paris. ann. 1694. pag. 383. eamque innuunt quoque Goarius in notis ad Eucholog. pag. 698. §. Verum potuisset; Tournely in Tractatu de Confirmatione, circa finem, ubi ad objecta respondet, pag. 612. & seq. juxta editionem Parisien. & Assemanus Junior Codicis Liturgici Lib. 3. De Confirmatione pag. 63. Verum aliis pluribus responsio hæc non probatur, & præsertim Juvenino De Sacramentis Dissert. 3. de Confirmatione, quest. 7. cap. 1. art. 1. §. 1., qui observat primo, nullum adduci Græcum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui Apostatam reconciliat, dum sacro Unguento illum ungit, & proferit verba, quibus continetur forma Sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione Sacramenti alienum; deinde, nequaquam recte agere, qui immo peccare Ministrum, qui Sacramenti materiam, & formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est; etiam si Sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum sæculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesia, reconciliatos aliquando fuisse Apostatas per manuum impositionem, statent quidem nunc temporis verum esse Confirmationis Sacramentum iteratò conferri iis, quibus semel valide collatum fuerit; at olim non ita se rem habuisse ajunt; proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in Decreto Sancti Methodii, quod pertinet ad Orientalem Ecclesiam, præscribitur, ut Apostatae reduces iterum Sacramento Chrysmatis confirmentur, quantumvis aliis id ipsum valide susceperint. At minime tutum est hoc etiam systema. Quum enim nonnulla ex indicatis monumentis diserte testentur, Apostatas receptos fuisse *sola manuum impositione*, si quis hanc ipsam pucat fuisse collationem Sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, sola manuum impositione, nullaque unctione adhibita, Sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset), unam cum impositione manuum, sacram quoque Unctionem in hujusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua, & quænam verborum formula proferri soleret ab eo, qui & manus imponebat, & Chrysmate ungebat. Marcus Rhemenſis in Tractatu de variis Capitibus Ecclesiæ, cap. 18. plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate præstitit auctor Glossæ in Can. Manus impositio, 1. quest. 1. Duo celebres viri, Sirmundus in suo Antirhetico secundo, cap. 5., & Morinus de Sacram. Confirm. cap. 12. pag. 56., & iterum

Applicatio materiz Sacramenti, cū prolatione formæ, seclusa intentione efficiendi Sacramentum, nec præsumitur, nec licita est.

Impositio manuum, ubi non constat de Unctione, & prolatione Formæ, non probat collationem Sacramenti Confirmationis.

in *Tract. de Pœnitentia lib. 9. cap. 9. & 10.* existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit, eandem in reconciliandis hæreticis adhibitam, meram fuisse cæremoniam, non vero alicujus Sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur Lupus in *Can. 7. Constantinopolitanum Tom. 2. pag. 46. & seq. Arcudius lib. 2. cap. 18. Suarez in 3. part. Divi Thomæ Tom. 3. quæst. 72. disp. 34. sect. 1. §. Unde est tertia responsio, & disp. 36. art. 11. sect. 3. §. Ad rationem dubitandi.* Quapropter Wittasse in *sua Tract. de Sacram. Confirm.* post relata monumenta omnia, quæ alterutri opinioni favere possunt, denique pag. 63. utramque in sua probabilitate relinquit; eademque prudentia se gerit Auctor additionum ad *Estium in lib. 4. Sentent. dist. 5. §. 16. lit. B. pag. 87.*

Melioris re-  
sponstione fa-  
ctis diffi-  
culti exortæ ex  
Decreto San-  
cti Methodii.

§. 57. Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat prædictæ difficultati, quæ oritur ex Decreto S. Methodii, & ex his, quæ in aliquibus Euchologiis, coherenter ad idem Decretum, adnotata reperiuntur. Et primum quidem, quod ad Decretum atinet, relatum idem legitur in *Annalibus Ven. Cardinalis Baronii, ad annum Christi 842.* sed diverso plane modo, ac ab aliis refertur, quamque a Nobis superius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime præscriptum legitur, ut in Apostatæ reconciliatione proferantur verba: *Signaculum Domini Spiritus Sancti*, licet præscribatur Unctio cum sacro Unguento peragenda. Et quamvis adhuc legatur: *Chrysmate unguantur, ut solent ungi, qui baptizantur*; nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis verisimiliter defendunt, hæc verba addititia esse, iisdemque admissis, tamquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione Apostatæ unguantur eadem corporis partes, quæ ungi solent, quam post Baptisma Confirmatio ministratur. Cumque nihil adjiciatur de prolatione verborum: *Signaculum Domini Spiritus Sancti*; evanescit vis omnis propositæ difficultatis. Accedit insuper, quod quam Legati a S. Nicolao Papa I. in Bulgariam missi, Confirmationis Sacramentum iis contulissent, quibus jam idem a Græcis Presbyteris ministratum fuerat; ob eam præcipue rationem, quod hujusmodi Presbyteri facultatem a Sede Apostolica non obtinuerant pro talis Sacramenti administratione; acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis encyclicis litteris, hoc illis vitio vertens, quod Sacramentum Chrysmatis contulissent iis, qui jam semel confirmati fuerant. *Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audere non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrysmate uncti sunt, iterum chrysmarent, excelsa denique mysteria in nugæ & derisum convertebant?* Ex hoc autem aperte evincitur, S. Methodium in suo Decreto minime statuisse, aut voluisse, ut Sacramentum Chrysmatis iterato ministraretur iis, qui jam antea confirmati fuerant, si forte post apostatæ crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem S. Methodii floruit, quique pravi sane animi, sed doctus & catus homo semper habitus fuit, non id Apostolicis Legatis adeo acriter objecisset, quod Sacramentum Chrysmatis iterassent, si Sanctus Methodius antea decrevisset, aut ea mente fuisset, ut Apostatæ ad Ecclesiam redeuntes idem Sacramentum iteratò susciperent; facile enim prospexisset hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrave egisse, quam quod Ecclesia Orientalis, ex Decreto S. Methodii, servare consueverat, dum aberrantes in unitatem recipiebat.

Verba ex Eu-  
chologiis al-  
legata additi-  
tia probatur.

§. 58. Quod autem pertinet ad Euchologia, si in eorum aliquo præscriptum legitur, ut in pœnitentium reconciliatione, adhibeatur sacra Un-

ctio cum prolatione verborum: *Signaculum Domini Spiritus Sancti*; id utique tribuendum est interpolationi Schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Græcos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset; uti testatur Gregorius Protolyncellus in *Apologia adversus Marcum Ephesium, in Collectione Concil. Harduini Tom. 9. pag. 640.* At enunciata formulæ prolatio minime præscripta reperitur in quamplurimis manuscriptis Euchologiis, quæ inspexit & recognovit vir summa fide dignus Joannes Mattheus Cariophylus Cydonius; quemadmodum refert Arcudius *lib. 2. de Reformat. cap. 18.*; quodque magni æstimandum est, nihil ejusmodi legitur in celebri Euchologio Cryptæ Ferratæ. Quare in Congregationibus super correctione Euchologii habitis tam sub Urbano VIII., quam nostris hinc temporibus, Nobis annuentibus, decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum erat, Ritus reconciliationis pœnitentium ad eam plane formam exigeretur, qua descriptum legitur in Euchologio Cryptæ Ferratæ: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habita die 7. Januarii 1748. propositum fuisset dubium, an corrigendus esset ritus reconciliandi Apostatas in unitatem Ecclesiæ redeuntes, ad formam in Decreto Methodii traditam; animadversum fuit, unctio-nem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem faciendam præscribi eo modo, quo unguantur ii, qui baptizantur; sed ut in hujusmodi unctio-ne peragenda proferri debeant verba: *Signaculum Domini Spiritus Sancti*; id in paucis solummodo, iisque recentibus, Euchologiis adscriptum reperiri. Itaque in alia Congregatione habita die 18. sequentis Mensis Februarii decretum fuit: *Corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis Cardinalis Bessarionis, nunc Cryptæ Ferratæ.* Factaque Nobis relatione, atque omnibus per Nos inspectis, libratilque, Decretum idem approbatione nostra roboratum fuit.

Pristinæ in-  
tegritati re-  
stituuntur  
omnia.

§. 59. Agendum nunc sequitur de quarto Moniti capite, quod est de peculiaribus quibusdam immunditiis, ad quas expurgandas, nonnullæ benedictiones & preces in Euchologio appositæ leguntur. En autem Moniti verba: *Denique sciendum, quod, si contigerit, immundum quid, aut contaminatum incidere in puerum, aut in aliud vas liquidum cujuscumque, sive etiam rem immundam tangi, aut manducari, sive in Ecclesia animal impurum gigni, aut mori, Sacerdotes quidem Orientalis Ecclesiæ, precibus & benedictionibus in Euchologio contentis, secundum Ecclesiæ suæ consuetudinem, utuntur, nullatenus tamen intendunt observare præcepta antiquæ Legis, quæ sunt per adventum Christi sublata, quemadmodum omnibus manifestum est.*

Quantum  
Monitum: de  
quibusdam  
immunditiis,  
& precibus  
ad eas abster-  
gendas in Eu-  
chologio ap-  
positis.

§. 60. In Euchologio, cujus correctioni adlaboratum est, prout etiam in celebri Euchologio Cryptæ Ferratæ, olim Cardinalis Bessarionis, & in aliis vetustissimis hujusmodi Codicibus, Oratio quædam legitur, in qua & commemoratur id, quod in Lege veteri statutum fuerat de differentia inter cibos mundos & immundos, deque immunditia legali, quam contraheret quicumque, contra interdictum Legis, immundum quid comedisset; & simul adjicitur, non posse eum, qui cibos immundos ederet, pretiosum Corpus & Sanguinem Christi sine peccato suscipere. Id autem in causa fuit, ut discutendum proponeretur, num ex prædicta, aliifque similibus Orationibus, seu ex his, quæ in hujusmodi precibus continentur & enunciantur, justa præberetur occasio suspicandi, ne forte observatio cæremoniarum legalium veteris Legis, una cum nova Lege & Evangelio, cumulari,

Oratio de  
cibus mundis  
& immun-  
dis, quæ in  
Euchologio  
legitur.

An retinē-  
da, vel tolē-  
da esset, ad-  
dubitatum,  
& quare?

seu retineri vellet. Ut igitur deprehendatur, an suspicio hæc aliquo fundamento innitatur, sequentes propositiones strictim indigtabimus, ex quibus omnia illustrentur, & propria in luce collocentur.

Animadversiones ad rē recte definitam necessaria.

Distinctio ciborum, ceremoniale fuit veteris legis præceptum, per adventum Christi sublatum.

§. 61. Prima est: Cæremonias legis Mosaicæ per adventum Christi fuisse sublatas; & post promulgationem Evangelii, non posse amplius absque culpa servari. Quum itaque discrimen a lege veteri inductum inter cibos mundos, & immundos, ad cæremonialia præcepta pertineat; hoc satis est, ut asseri jure possit, nullum amplius superesse, aut statui debere discrimen inter cibos mundos & immundos. Quamvis enim beatissimi Apostoli, *Actor. cap. 15.* Fidelibus interdixerint, ne sanguine & suffocato vescerentur, juxta sententiam Jacobi in Concilio Jerosolymitano propositam in hæc verba: *Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine;* hoc tamen constat ideo tunc sancitum fuisse, ut omnis dissidii occasio inter Judæos & Gentiles ad Christum conversos tolleretur; qua causa jamdudum sublata, ejus quoque effectus sublatus dici debet. *Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis cæremonias, sacra, Sacrificia, & Sacramenta, Domino nostro Jesu Christo adveniente, cessasse, & post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Ejusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum & immundorum differentiam, ad cæremonialia pertinere, qua, surgente Evangelio, transferunt. Nam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, illi temporis congruisse, ut inter Judæos & Gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus Apostolica prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.*

Consona alio principio Pontificum & Conciliorum Decreta.

§. 62. Præmissa verba desumpta sunt ex Professione Fidei Orthodoxæ, quam Orientales, ex præscripto Urbani Papæ VIII., emittere debent, & quæ impressa fuit Typis Congregationis de Propaganda Fide anno 1642. Consonat iisdem doctrina Sancti Thomæ, quam is fide tradit in 1. 2. *quest. 103. art. 4. ad tertium.* Neque desunt antiquiora monumenta, quibus eadem doctrina firmatur. Siquidem Sanctus Gregorius II. in suo Capitulari, quo instructos in Bavariam ablegavit Marinianum Episcopum, & Georgium Presbyterum, cap. 7. ita loquitur: *Ut nihil in perceptione ciborum judicetur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia, juxta quod magisterio Apostolico docetur, omnis creatura Dei bona. & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Similiter Sanctus Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum num. 43. de animalibus mundis & immundis, hæc habet: *Quæ animalia seu volatilia liceat manducare, quantum existimo, Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noë tribuit, & Filiis ejus edenda. . . . Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur, & societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur.* Itaque in Concilio Florentino, in Decreto pro Jacobitis edito, in *Collectioe Labbeana Tom. 13. pag. 1209.* sequentia verba leguntur: *Sacrosancta Romana Ecclesia &c. firmiter credit, profitetur, & prædicat, omnem Creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; quia, juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicæ Legis ciborum mundorum & immundorum differentiam ad cæremonialia asserit pertinere, qua, surgente Evangelio transferunt. . . . Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana; nec inter animalia discernendum, per*

quemcumque sive virum, sive mulierem, & quocumque genere moris intreat, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina, possint & debeant multa non negata dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.

§. 63. Altera propositio est: Quamvis, promulgato Evangelio, cessarint cæremonialia præcepta veteris Legis, & nullum in lege nova extet præceptum, quo mundi ab immundis cibis secernantur, cujusmodi erat in Lege veteri; non minus tamen in potestate est Ecclesiæ Christi, justis concurrentibus rationibus, gravibusque de causis, ut obligationem redintegret observandi aliquod ex præceptis cæremonialibus, quæ erant in Lege veteri, licet in nova, ut innuimus, abrogata sint; dummodo præceptum non sit ex eorum numero, quæ in Lege veteri præcipue ordinata erant ad præfigurandum Messiam venturum; cujusmodi patet fuisse, exempli gratia, Circumcisionem, & animalium sacrificia, uti ad rem nostram advertit Vasquez in 1. 2. *Divi Thomæ Tom. 2. disput. 182. cap. 9. §. Ex quibus omnibus;* sed sit ex genere eorum, quæ ad externam disciplinam, & corporis munditiam pertinebant, in quorum classem profecto referenda veniunt, quæ de cibis mundis & immundis præscripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex Occidentalis, quam ex Orientalis Ecclesiæ disciplina, & quidem ex priorum sæculorum monumentis comprobatur.

§. 64. Celebris est calumnia in primævos illos Christianifideles a Gentilibus conficta, quod scilicet Hominum, præsertim infantium, carnibus vescerentur, humanumque sanguinem biberent. Huic causam dedit religiosa, quæ tunc vigeat, Arcani disciplina, juxta quam servato inter Fideles secreto circa præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistica mensa; ex qua iidem pascebantur, quum tamen subobscura quædam Mysterii noticia ad Gentilium aures pervenisset, hæc ipsi ansam arripuerunt, ut prædictam calumniam in Christianos excogitent, & in vulgus spargerent; uti recte demonstrat Schelestratus in *Dissert. de Disciplina Arcani artic. unic. cap. 4. §. 17.* Equè tamen celebris est responsio, quam veteres illi Apologiarum pro Christianis Scriptores, absque secreti violatione, Gentilibus reddere consueverunt, dicentes, fieri nullo modo posse, ut Christi Discipuli humanas carnes ederent, & sanguinem biberent, quum satis certum esset, eos ab animalium quoque sanguine, & a suffocatis animalibus abstinere. Hoc argumentum utitur Tertullianus *Apologeticæ cap. 9.* Ex hac autem responsione manifestè evincitur, temporibus illis, nimirum prioribus Ecclesiæ sæculis, ciborum delectum apud Christianos aliqua ratione viguisse, eosque potissimum a sanguine & suffocato abstinuisse; ut sapienter observant Nicolaus le Nourry *Tom. 2. Apparatus in Biblioth. Patr. Dissert. 4. in Tertullianum cap. 12. art. 2. & Pamelius in dictum cap. 9. Tertulliani num. 138.* Neque vero Christiani illi existimabant vigenem adhuc esse ea de re Mosaicæ Legis sanctionem; neque porro ignorabant sublatum jam esse Apostolicum interdictum de abstinentia a sanguine & suffocato; nec alia demum de causa illicitas putabant hujusmodi escas; sed tamen ab iis abstinebant, ex consuetudine a Majoribus tradita, quam sequi & servare maxime conveniens arbitrabantur: *Mos itaque abstinentiæ a sanguine & suffocato in illis Ecclesiis tanta religione servatus est, quia consuetudinem illam a majoribus acceperant, quamvis usum sanguinis & suffocati absolute illicitum esse non censerent:* verba sunt Natalis

Potest tamen Ecclesiæ cæremonialia præcepta innovare, exceptis iis, quæ veterum Messiam referant.

Religiosa priorum Christianorum observantia argumentum

Alexandri *Histor. Ecclesiast. sæcul. I. Dissert. 10.*Ad quod ut  
que tempus  
ca disciplina  
vigerit in  
Latinis Ec-  
clesiis.

§. 65. Afferit Calmet in suis *Commentar. ad Cap. 15. Actuum Apostol.* ad ea verba: *Et suffocato & sanguine*, in aliquibus Ecclesiis Latinis, per plura secula, & quidem usque ad decimum, & undecimum Aetæ Christianæ seculum, observatam fuisse distinctionem inter cibos mundos & immundos, servatamque abstinentiam a sanguine & suffocato. Et quamvis ipse assertionem hanc suam nullis probationibus ibi confirmet, comprobari tamen facile possit a quolibet in monumentis Ecclesiasticis praeumper versato. Etenim Canisius in lucem edidit vetus Pœnitentiale Romanum, seculo octavo labente, vel nono ineunte, compositum: in quo sub *Tit. de Suffocatis* statuitur pœnitentia ab eo subeunda, qui suffocati animalis carnem ediderit, sub *Titulo autem de Laceratis*, præscribuntur pœnitentiæ & jejunia iis injungenda, qui vel piscem comederint in piscina mortuum, vel aquam biberint ex eo puteo, in quo demortuus mus, vel gallina reperti fuerint, nisi prius exhaustus omnino fuerit ipse puteus. Humbertus autem Cardinalis Silvæ Candidæ, qui Sancti Leonis Papæ IX. Legatus fuit, & quidem Constantinopoli cum Græcis acriter disputavit, in ipsis disputationibus hujusmodi, aperte factus est, nullam hac de re dissensionem esse inter Latinos & Græcos; siquidem adhuc in aliquibus Latinis Ecclesiis observabatur, non secus ac apud Græcos, abstinentia a sanguine & suffocato: *Antiquam consuetudinem, seu traditionem majorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur, adeo ut sanguine, vel quocumque morticino, aut aquis, seu quacumque negligentia humana præfocato, apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitæ hujus, penitentia gravis imponatur.* Et alibi: *Nos ergo, quamvis a Domino, & ab Apostolis licentiam habeamus manducandi omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ salutis officium, consuetudine tamen provincialium, & præceptis majorum nostrorum hæcenus detenti, deviamus comedere nonnulla, non quia mala, & immunda sunt, sed quia aut nobis aliquando non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso abhorrent.*

Apud eosdem Latinos  
nunc penitus  
obsoleta.Viget tamen  
adhuc in Ec-  
clesia Græca.

§. 66. Jam vero in Latinis Ecclesiis nullum amplius superest hujusmodi abstinentiæ vestigium, si fidem habeamus Cornelio a Lapide in *Commentar. in Actus Apostol. cap. 15. verbo: Et sanguine*. Viget illa tamen vel nunc in Ecclesia Græca, quæ sibi laudi duxit, Apostolicum præceptum de abstinentia a sanguine & suffocato, retinere & custodire, quemadmodum notant prædicati Calmet, & a Lapide in *d. cap. 15. Actuum Apostol.*, pergitque Christianus Lupus in notis ad *Can. 67. Concilii Trullani: Græci etiam dudum postea in observantia istius Apostolicæ Legis manserunt constantes; retenta nimirum lege prædicti Canonis Trullani 67., in quo ita legitur: Divina nobis Scriptura mandavit, a sanguine, & suffocato, & fornicatione abstinere. Eos autem, qui propter lautum & delicatum ventrem, cuiuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggredietur, si sit quidem clericus deponatur; sin autem laicus, segregetur: Soli autem Armeni, quod quidem sciamus, in acceptanda unione cum Ecclesia Romana, hujusmodi Græcorum consuetudinem se relinquere professi sunt. Licet enim Vartanes schismatis iis perorasset, ut a quibusdam cibis abstinere, quos Lex Mosaica immundos pronuntiavit, excepta solum carne fuisset, quam eis a S. Gregorio Illuminatore, primo eorum Nationis Patriarcha, concessam fuisse asse-*

Armeni hac  
in re Latinis  
plene con-  
sentiant.

rebat; eosdemque docuisset confringere vasa Oleo, Vinoque plena, si forte musca, vel aliud animalculum hujusmodi in ea cecidisset; nihilominus in Collationibus habitis ad conciliandam adeo exoptatam unionem Ecclesiæ Armenæ cum Romana, statutum fuit, ut sequitur: *Patres Armeni tum Sjensis, tum Adanensis Concilii, cum Romana Ecclesia suam conciliantes, approbarunt Epistolam Dogmaticam Gregorii Armeniæ Patriarchæ ad Regem Haytonem, ubi Hebraica illa ciborum discretio his verbis resellebatur: cibos autem immundos, præcipue, qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi jubemus, quos & orationibus benedicti docuit Dominus Nierses, nimirum Ghelajensis, qui similiter Armeniæ Doctor & Patriarcha fuerat. Quæ omnia videri possunt apud Galanum Tom. II. De conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana.*

§. 67. Tertia denique propositio ea est, quæ innuitur etiam in ipso capite quarto Moniti, de quo nunc agimus: videlicet minime prohibitum intelligi Græcis Sacerdotibus usum ullius ex precibus aut benedictionibus, quæ in eorum Euchologio continentur, quantumvis respiciant, pertinentque ad eas ipsas res, quæ in lege veteri subiectum erant cæremonialium præceptorum; dummodo quidquid ab iis fit, non eo animo fiat, ut veteris jam abolitæ Legis præceptis pareatur, sed ut obsequium præstetur vel novæ Ecclesiasticæ Legi, vel canonicæ consuetudini, diuturni & continui temporis observantia roborata. Lorinus in *cit. cap. 15. Actuum Apostol. vers. 20. §. Si abstinent*, circa Græcorum morem abstinentiæ a sanguine, & suffocato, hæc advertit: *Si abstinent hodie Græci a sanguine, putantes hæc se lege teneri, superstitiosi sunt, quia neminem nunc ligat, & ejus observatio sapit cæremonias veteris Legis: si vel quod naturaliter ab ejusmodi cibo abhorreant, vel honesta alia de causa, reprehendi non debent.* Goarins autem ad Euchologium Græcorum, in *variantibus lectionibus*, ubi eam Orationem expendit, quæ fit pro iis, qui prohibita & immunda comederunt, sequentem ponit anotationem: *Non Mosaicæ, sed Ecclesiasticæ Legis studio, ab immundis degustandis sibi cavent Orientales &c. Proindeque a Judaico ritu observando, dum Ecclesiæ observant traditiones, longe alienos se præstant, quidquid in adversum garriat, & falso imputet Catumlyritus: Cuius quidem audax assertio aliquid fundamenti haberet, si ad id, quod faciunt Græci, non tam præindicatis rationibus adducerentur, sed potius adstrictos se esse putarent ex fallâ opinione vigentis adhuc Apostolici præcepti de abstinentia a sanguine, & suffocato, quam opinionem parum feliciter tueri nititur Guillelmus Beveregius Tom. II. *Codici primitivæ Ecclesiæ, illustrati, & vindicati, cap. 7. num. 5. Tentarunt quidem Schismatici Ecclesiam Latinam, veluti judaizantem, traducere, propterea quod in azymo confecret, & Sabbata observet, Regumque Unctionem inter sacros ritus retineat.* At Leo Allatus in suo egregio Opere, de *perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, lib. 3. cap. 14.* temerariam hanc illorum assertionem refellit; specialiter vero sub num. 4. ita adversus eos argumentatur: *Quia Judæi Sabbata servant, qui servat Sabbata, Judæum agit: ergo qui suffocata non manducat, Judæum agit, cum Judæi ex Lege prohibeantur illa comedere: sed Græci suffocata non edunt; ergo Græci judaizant.* Deinde num. 9. ad rem nostram recte concludit, minime posse absolute & indistincte dici, quod is judaizet, qui in Ecclesia aliquid agit, & servat, consentaneum & simile cæremonias antiquæ legis. *Si quis sub alium finem & commoditatem, etiam ex intentione cultus, & tanquam religiosas cæremonias, non tam-**

Quomodo  
licita sit  
Græcis di-  
stinctio cibo-  
rum, ususque  
precum ad  
abstergen-  
dam immunditiam inde  
contractam.Temeraria  
Schismatico-  
rum assertio  
in Latinam  
Ecclesiam,  
ejusque refu-  
tatio.

quam spiritu illius Legis, nec tamquam habentia in illa fundamentum, sed vel ex proprio arbitrio, vel ex aliqua consuetudine humana, vel ex præcepto & institutione Ecclesie, observaret; neque peccaret, neque diceretur judaizare. Quare non semper quisquis in Ecclesia aliquid agit, quod cum caeremoniis veteris Legis similitudinem habet, statim dicendus est judaizare.

Appendix ad quartum Monitum.

§. 68. Quoniam vero unicuique ex tribus prioribus Monitis, de quibus in hac nostra Encyclica egimus, quamdam veluti appendicem addidimus; priusquam scribendi finem faciamus, huic etiam quarto Monito suam appendicem subnectere volumus, quæ & ab ipsis Moniti subiecto, & a correcti Euchologii editione aliena non sit.

Levitici Lex de Purificatione mulierum.

§. 69. In Lege Levitici, cap. 12., statuitur, ut Mulier, quæ Masculum pepererit, immunda sit septem diebus, deinde aliis triginta tribus diebus maneat in sanguine purificationis suæ; si vero feminam enixa fuerit, duabus hebdomadis immunda sit, & sexaginta sex diebus maneat similiter in sanguine purificationis suæ; ita ut Sanctuarium ingredi nequeat, antequam elapsum sit huiusmodi tempus; quum autem primo Templum adierit, certam oblationem afferre debeat.

Non ab similibus Lex viguit quoque primitus ex Ecclesia.

§. 70. Hoc interdictum in Ecclesia per aliquod tempus viguisse, negari nequit; legitur enim in Canonibus Pœnitentialibus Theodori, quos refert Ivo in suo Decreto, quosque commemorat Ven. Card. Baronius ad annum Christi 266. *Mulier, quæ intrat in Ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, triginta tres dies pœniteat; si feminam, quinquaginta sex. Si quæ autem præsumserit ante tempus præfinitum Ecclesiam intrare, tot dies pœniteat in pane & aqua, quot Ecclesia carere debuerat.* Sed neque negari potest, huiusmodi prohibitionem labentibus temporibus in Ecclesia Latina abrogatam fuisse. Si eadem hora, qua genuerit, actura gratias, intra Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur: verba sunt S. Gregorii Pape, relata etiam in Decreto Gratiani *Can. 2. dist. 5.* Subdit autem Innocentius III. in Decretali: *Volens, De purificatione post partum, (recitato prius eo Textu: Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Jesum Christum facta est), Mulierem puerperam, quæ Religionis causa ab ingressu Ecclesie aliquamdiu abstinere velit, non prohiberi; ingredientem non peccare: Nulla proinde peccati mole gravatur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne penam in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.* Cumque Beatissima Virgo Maria, quantumvis in prædicata Levitici Lege minime comprehenderetur, nihilominus eidem se se subicere voluerit, dum, elapso puerperii tempore, se ipsam, Divinumque Filium in Templo presentavit; in hujus præclarissimi facti memoriam institutus fuit Ritus, qui descriptus legitur in Rituali Romano, Pauli V. Pontificis jussu edito, juxta quem mulier prolem enixa, post puerperii terminam, ad Ecclesiam se confert, ubi præ foribus a Sacerdote excipitur, & aqua benedicta cum prece aspergitur; deinde tenens extremam partem Stole ejusdem Sacerdotis, pergit ad Altare, & coram eo genuflexa, orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis. Verum hæc benedictio mulieris post partum, in Ecclesia Latina nullo jure præcipitur, eamque prætermittens mulier minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum; ut optime monet Quartus in suo *Opere de Benedictionibus Tit. 3. sect. 12. dub. 1.*

Quid nunc temporis apud Latinos hac in re fervetur.

Severior Græcæ disci-

§. 71. In Græca autem Ecclesia puerperii

lex, tamquam de præcepto, religiose custoditur, nec mulier partum enixa permittitur ante præfinitum tempus ad Ecclesiam accedere; quin etiam superioribus seculis eo severitatis pervenerat Græcorum disciplina, ut menstruas mulieres ab Eucharistica Communione repelleret, quantumvis in vite periculo versarentur: Qua de re graviter reprehensi fuerunt ab Humberto Cardinali Sylvæ Candidæ, ut videre est apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 1054. Et quamvis subinde temperatus fuerit huiusmodi rigor, exclusis a sacra mensa mulieribus menstruais tunc solum, quum nullo vite periculo premerentur; quod consentaneum visum est Epistolæ Canonice Dionysii Alexandrini, & Novellæ 13. Leonis Sapientis Imperatoris; peropportuna tamen huc revocanda venit animadversio prædicti Cardinalis Baronii ad annum Christi 266. *nu. II.*, ubi observat, Dionysium in citata Epistola opinionem suam tantummodo exposuisse, ut eam aliorum iudicio, & Basilidis præsertim, censura subiceret: *Ego, non ut Doctor, hæc scripsi, sed, ut cum omni simplicitate convenit differere, meam sententiam in communi ederem, quam tu cum examinaveris sepe, quod justum meliusque apparuerit, vel etiam an sic de eis haberi existimes, rescribe.* At ex adverso, nimis perspicua est ratio per Sanctum Gregorium Magnum adducta in sua Epistola, cujus partem Gratianus inseruit *Can. 4. dist. 5. Nature superfluitas in culpam non valet imputari, & per hoc quod invita patitur, justum non est, ut ingressu Ecclesie privetur.* Quod autem pertinet ad Eucharisticam Communionem, non quidem improbat Sanctus Doctor, si mulier ab illa ex reverentia se abstinere; sed si nihilominus eo etiam tempore communicet, aperte declarat, se eam non damnare: *Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si percipiat, non judicanda: bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Itaque Græcorum disciplina hac in parte nequaquam probatur Theophilo Rainaudo *Tom. XVI. illius Operum*, in eo quod inscribitur *Heteroclitia Spiritualia, impress. Lugdun. pag. 33. num. 28.* Ac ipse etiam Goarius, perpetuus cæteroquin Græcorum Rituum fautor & defensor, in notis ad Euchologium pag. 270. ultro fatetur, in nimium rigorem vergere, & præter omnem regulam inventam esse Legem, quæ menstruas mulieres a sacra Mensa repellit: *Mitius tamen cum impuris mulieribus agendum, & nature imbecillitas non spontaneo se opere levantis; quidquid in adversum obiectent, & obreñent Græci &c.*, post quæ verba præmissam assertit auctoritatem Sancti Gregorii, ex citata ipsius Epistola desumptam.

§. 72. Sed quidquid sit de mulieribus menstruais, tam quoad earum ingressum in Ecclesiam, quam circa permittendam ipsis Dominici Corporis participationem; sermonem nunc referentes ad eas, quæ a partu recentes sunt, quantumvis puerperii observatio in Ecclesia Latina, ut jam dictum est, non præcipiendi modo illis præscripta sit, sed mere consulendo proposita; in Græca tamen Ecclesia viget præceptum, ut ab ingressu Ecclesie abstinere, donec certus dierum numerus elapsus sit: *Obedientiam illam ex debito requirunt Græci; Latini non nisi ex reverentia observantia: ita Goarius loco citato, pag. 269.* In Euchologio autem leguntur preces per Sacerdotem ea occasione recitandæ; sicut etiam in eodem Euchologio describitur universus ritus, quo puerperii caeremonia completur.

§. 73. Itaque in Congregationibus pro Euchologii correctione habitis tam sub Urbano VIII., quam nostri Pontificatus tempore, de hac materia diligentissime actum, questumque fuit. Nemo sane extitit, qui expungendum proposuerit

plina de Puerperis, menstruais, quæ mulieribus.

Vim coactivi præcepti habet Lex de puerperis, apud Græcos.

Iterata huic discipline discussio, & nonnullorum de ea iudicium.

ex Euchologio puerperii ritum; fuit tamen, qui suggererit, ut tolleretur præfinitio termini quadraginta dierum; utque alia preces subrogarentur in locum illius Orationis, quæ in Euchologio legitur, quæque nimium alludere videbatur ad immunditiam legalem, ob quam Judæi mulieres suas, quadraginta diebus post partum, ab omni commercio segregabant, & a Templo excluderent; quæ præsertim ibi minus proprie supplicari Deo videatur in hunc modum: *Ab omni peccato, & ab omni sordè perpurga &c. sordè corporis ejus, & maculas animæ ablue in quadraginta dierum cursu.*

§. 74. Verum quum alii sapienter animadverterint, posse utique in nova Lege servari aliquid ex cæremonialibus Ritibus antiquæ Legis, dummodo id non fiat tamquam in vim ipsius Legis antiquæ, quæ evacuata est; sed morem gerendo aut legitimæ consuetudini, aut novo præcepto, ab eo edito, cui legislativa simul, & coercitiva potestas competere dignoscatur, uti prosequitur Vaquez *cit. Tom. III. in 3. part. S. Thomæ, disp. 210. quæst. 80. art. 7.*, fati id visum est, ut nemo mirari jure possit, si puerperii observatio, Latinis mulieribus consilii modo proposita, Græcis pro Lege præscripta inveniatur. Cumque præterea Græci non eadem ratione, qua olim Hebræi, puerperii ritum adimpleant; neque enim Sacerdoti oblationem Judaico more afferunt; quin potius eundem Ritum sanctificaverint per appositas preces, quibus Deus rogatur, ut mulieri peccata, si quæ pataverit, dimittere dignetur, invocato in hunc ipsam finem Deiparæ Virginis patrocinio; idcirco in sessione habita inter eos, qui a Nobis, ut initio diximus, Euchologii correctioni præpositi fuerant, die 8. Januarii 1747., conclusum fuit, nihil hac in parte innovari; Nosque subinde hujusmodi resolutionem approbavimus. Pronum est enim, supra relatis Græcæ Orationis verbis rectum sensum aptare, dicendo nimirum, Deum ibi rogari, ut & mulieris animam ab omni culpa penitus emundet, & corpus etiam illius liberet ab omni immunditia, non quidem legali, sed naturali, quatenus spiritualem immunditiam significat; quum etiam externa corporis mundities pars sit cultus & venerationis debitæ erga Ecclesias, atque res sacras; quapropter prioribus sæculis Ecclesias non

ingrediebantur Fideles, nisi prius diligenter loti fuissent; uti testatur Sanctus Joannes Chrysofomus; neque privatim sacrorum Evangeliorum Codicem attingere audebant, quin antea manus lavissent.

§. 75. Hæc vobis exponenda censuimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, per has nostras Encyclicas Litteras, ut & causas intelligatis, ob quas Apostolica Sedes laboriosam hanc provinciam jamdudum suscipiendam exitimavit, ut Euchologii vestri correctioni manus apponeret; & Vobis compertum sit, qua diligentia, quo studio, & quam æquâ prudentique ratione susceptum opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia, quæcumque reperta sunt in iis Euchologiis, quæ & antiquitate, & auctoritate cæteris præstant: nihil ademptum, aut emendatum est, nisi quod in recentiores quasdam editiones, nonnullorum oscitantia, aut malitia, irrepsisse apparuit: Omnia retenta fuerunt, quæcumque deum retineri posse visa sunt, & benigna quævis interpretatio adhibita est, ne Ritus vester aliqua in re labefactari videretur. Ex quibus omnibus quum sinceram nostram, & Apostolicæ Sedis in vos charitatem testatam vobis esse non dubitamus, tum etiam illud vos intellecturos confidimus, incredibili Nos studio, & sollicitudine urgeri, ut & vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, in sancta Unione constantes perseveretis, & alii aberrantes, ad eandem societatem, & ad salutis viam aliquando per Dei gratiam revertentur. Vestrum erit in posterum correctæ hac Euchologii editione uti, ac diligenter curare, ut, si nova aliqua ejusdem editio fiat, ea ad normam hujus, quæ prodit anno 1754. e Typis Congregationis de Propaganda Fide, omnibus numeris exigatur; quo interclusus sit aditus erroribus omnibus, & absurdis, quæ superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepsissent, easque fœdarunt. Hoc denique a vobis petimus, ut Nos in ardua Ecclesiæ universæ procuratore laborantes, orationum vestrarum subsidio juvetis; vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 1. Martii 1756. Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Pontificis cohortatio paterni amoris referat, ad Græcos; qui novo, correctoque Euchologio uti jubentur.

Dat. 1. Martii 1756. Pont. XVI.

Solidior probataque aliorum sententia, ejusque fundamenta.

LVIII. Facultas tribuitur Jacobo III. Magnæ Britannicæ Regi, ut S. Eucharistiam possit suscipere, de Spirituâlis directoris sui consilio, etsi post mediam præcedentem noctem jentaculum aliquod, sic exposcente valetudine, sumperit.

Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Si concede la dispensa alla Maestà di Giacomo III. Re della Gran Bretagna di poterli comunicare col consiglio del suo Padre Spirituale, ancorchè dopo la mezza notte precedente abbia preso qualche ristoro per l'indigenza della sua complessione.

Dilecto Filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pium Regis Britannici votum communionem sumendi etsi non jejunos.

QUADAM, de more, tibi impertita audientia, detulisti ad Nos pium æque ac religiosum votum Carissimi in Christo Filii Nostri Jacobi III. Magnæ Britannicæ Regis, liceret ut tibi Eucharisticum sumere Sacramentum, etsi de media nocte antevertente diem, quo sacris mysteriis participem se fieri cupit, quandoque, ex segra valetudine, cibum aliquem sumere cogatur,

IN una delle solite udienze, che le diamo, ella ci espone il divoto e pio desiderio del Nostro Re Britanico, di poter ricevere la Sacra Eucaristia, ancorchè dopo la mezza notte precedente al giorno, in cui vuol comunicarsi, per le sue indisposizioni venga tal volta affretto a prendere qualche poco di ristoro; esibendosi a non ricevere la Sacra Comunione nel modo

Pio desiderio del Re Britannico di poterli comunicare, ancorchè non digiuno.